RAUDNITZ, J. M.

MATERIA MEDICA HIPPOCRATIS.

DISSERTATIO

I N A U G U R A L I S

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE HERBIPOLENSI

EDIDIT

JOSEPHUS MENDELIUS RAUDNITZ,

DOCTOR MED., CHIR., ET ART. OBST.

MDCCCXLIII.

DRESDAE,

SUMTU AUCTORIS TYPIS EXPRESSIT B. G. TEUBNERI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRIS

LONGE CELEBERRIMIS,

ILLUSTRISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS, DOCTISSIMIS

LUDOVICO CHOULANT,

PHILOSOPH., MED. ET CHIRURG. DOCTORI, AUGUSTISSIMI REGIS SAXONIAE A CONSILIIS AULICIS ET MEDICIS, ACADEMIAE CHIRURGICO-MEDICAE DRESDENSIS DIRECTORI, MEDICINAE PRACTICAE PROFESSORI, CLINICES THERAPEUDICAE DIRECTORI, CONCILII EXAMINATORII MEDICI MEMBRO, COMPLUR. SOCIETATUM ERUDITORUM SOCIO ETC.

ET

JULIO SICHEL,

PHILOSOPH., MED. ET CHIRURG. DOCTORI, MEDICO APUD PARISIOS CELEBERRIMO, OPHTHALMOLOGIAE PROFESSORI, COMPLUR. SOCIETATUM ERUDIT. SOCIO ET HONORARIO ET ORDINARIO, EQUITI ETC.

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

OBTULIT

AUCTOR.

Lectori Benevolo.

Contemplantibus nobis viam et rationem, quam tum in cujus libet rei, tum in medicinae arte ingrediamur, maxime eorum historia exculta videtur. Hac et ipse valde delector, eamque in eligenda ad dissertationem materia omnium optissimam putabam. Omisi autem (nemo id mihi opprobrio vertet), quaerere, numne vera sint, quae extant, Hippocratis scripta; tum quod magis spectabam, materiam medicam Hippocraticorum cognoscere, tum quod verosimile est, Hippocratis doctrinam etsi non omnem ab ipso, tamen a discipulis ejus litteris esse consignatam. In ordinandis et dividendis medicamentis, utcunque potui, secutus sum recentissimorum Pharmacologorum rationem, summam hanc ex historiae studio provenientem utilitatem ratus, ut, quale discrimen intercedat antiquissimam inter et novissimam materiam medicam, facile intelligatur.

Sume, benevole lector, artis meae tirocinia, magna quidem diligentia composita ac non sine aliquo timore in publicum emissa. Velim perpendas in dijudicando hoc opusculo paene infinitas, quibus implicitus eram

difficultates, etenim conservata adhuc monumenta, quibus usns sum, maximam partem, tam corrupta sunt, tamque mutilata, ut, si non idem alii me multo doctiores persecuti essent, scrupulos, qui obvenerunt, superare vix potuissem. Accipe igitur, lector, benigno animo, quae mihi dicenda videbantur.

Scripsi Dresdae, Calend. Martii MDCCCXLIII.

Dr. J. M. Raudnitz.

EXORDIUM.

Prima de materia medica vestigia in antiquissimorum mythistoria se subducunt. Jam enim una cum terribili illi totius naturae commutatione quamquam utilissima, quam nobis omnium gentium historia ostendit, perturbationes integri corporis humani (morbi) enatae erant, cum laboribus et laesionibus corporis necessario conjunctae. Sed tamen numerus medicamentorum exiguus esse debebat, quoniam in vitae morumque simplicitate, natura unica, tum aegrotandi conditio, tali efficacitate in corpus humanum invadere nequibat. Artes vero cum innotuissent, morum illa vitaeque simplicitate, optimo integritatis praesidio, extincta, crescere morbi, crescere qui auxilium peterent. Unde tum studio tum casu plura medicamenta cognita fuisse videntur.

Quae invenerunt in futurum conservare ac litteris mandare tentabant. Tum demum percontator a praesumtionibus sese confert ad rerum historiam, in qua velo mythorum obducto, veritas emergit.

Apud Graecos non ita videmus antiquissimo tempore sacerdotes medicinam exercentes, quam apud alias gentes. Aesculapius, postea in numerum deorum relatus, medicus concomitatus est Argonautas, dum ejus filii in heroes Graecorum ad Trojam pugnabant. Posteri demum Asklepiades sacerdotum familiam efficiebant, quae sola per longum tempus in templis artem medicam exercebant. Scholae celeberrimae Coa et Cnidia, quarum altera praecipue Semetiocam pertractabat, altera magis in describendis singulis morbis versabatur. Ab altera parte philosophi Graecorum antiqui

medicinae ut philosophiae parti ac praesertim physicae studebant. Princeps eorum Pythagoras auctor erat Pythagoraeorum, qui ad assequendam summam ingenii felicitatem prae ceteris cum naturae tum medicinae cognitionem maxime necessariam arbitrabantur et ipsi exercebant. Quo facto thesaurum rerum in medicina practicarum sacerdotes contulerunt, philosophi ad cognoscendum corpus humanum medicinamque theoreticam fundamenta jecerunt. Utraque etiam pars illius exercitium sibi tantum modo vindicavit, usque dum ex familia Asclepiadarum templa deserentium et medicinam popularem exercentium profectus est Hippocrates ille illustrissimus, praeceptor suae et omnium aetatum, verus auctor doctrinae de rebus medicis.

Quamquam aetatis suae philosophia imbutus verum ejus momentum cognivit, systema tamen ex ea medicinae fundare noluit. Medicinam a sapientiae studio separavit atque propriam ejus condidit theoriam, assidua naturae et observatione et imitatione, medicinae fundamentis, fretus; eoque effecit, ut per se ipsa subsisteret. Hinc philosophorum ac sacerdotum vinculis liberata medicina, principium verae doctrinae factum est.

Jamjam ad medicamenta quoque magis attendere, ea probare et experimenta capere debebant, unde vera medicamentorum doctrina enata est; ac nescio an non singularem de illis scripserit librum, saepe quidem in Hippocratis scriptis commemoratum, sed non amplius conservatum.

Ut vero doctrinas, quae tum erant de medicamentis, recte cognoscamus, sententias scire necesse est, quae de morborum fontibus ferebantur.

Hippocrates idem atque Empedocles, quatuor posuit elementa, enunciata in qualitate mundi ac principio: frigus et calorem, siccitatem et humorem, quorum vicaria quatuor erant substantiae: sanguis, pituita, bilis et atra et lutea; (quae commutata deinde a Polybio, Hippocratis genero: bilis, pituita, sanguis et aqua erant.) Nec tamen inconsulto confudit, sed vicissim semper agendo commiscuit. Exi-

stente hujus commixtionis aequalitate et harmonia, constat bona, non existente, mala valetudo. Jam vero uti cujusvis morbi causam, aliquam illarum liquiditatum in aliarum detrimentum praevalentem habebant, ita quodvis medicamentum in unam eandemque liquiditatem vim facere putabant. Quapropter Hippocrates: „Si alicui medicamentum exhibueris, quod pituitam educat, pituitam tibi vomitione reddet, et si medicamentum, quod bilem ducat, exhibeas, bilem tibi evomet. Eadem quoque ratione, atram bilem purgat medicamentum, quod dederis atram bilem ducens“ (226) *). Revera determinata erant medicamenta, prout in principales liquiditates influunt. Verum ut efficeretur aequalitas liquiditatum, plerumque vim praevalentem earum, ex quibus morbus exortus erat, eo ut corpori quam plurimas eriperent, diminuebant. Itaque mirum non est, quod, quia in omnibus fere morbis adhibebantur purgantia praesertim emetica et drastica, de quibus Hipp. pleraque dat praecepta, etiam scientia eorum maxima erat, quae praecipue antiqui ad expurgandas sordes gastricas ex torpore adhaerentes, mucositates etc. commendabantur.

Eorum multa non amplius sunt in usu, quanquam plurima non prorsus rejecerim, cum a veterioribus medicis, quippe qui Hippocratem sequerentur, magni aestimarentur atque in quibusdam casibus adhibita felicissimos haberent eventus, adeo ut in nostra medicina, ad Narcotismum adspirante, non exolescant. Per hanc tantum theoriam cum idonea diaetae ratione conjunctam et pristinis temporibus et hac nostra aetate mira praestantur, in hac recte tractanda ars Boerhaviorum, Sydenhamorum, Fr Hoffmanorum, Stahliorum, G. A. Richterorum, J. P. Frankiorum etc. elucebat. Absint igitur verba recentiorum Pharmacologorum, medicamenta illa „obsoleta“ dicentium, non absint medicamenta, innumeris experimentis probata! Metuunt quidem nocuam vim, quam in sto-

---

*) Apponuntur et istic et alibi paginarum numeri ex libr. Hipp., Foesii edit., Genev. 1657, qua usus sum.

machum et intestina exercent; ac sane narcotica et mercurialia, profuse adhibita saepe in perpetuum corpus subvertunt. At valentis medicamenti abusus non est usus.

Praeter emetica et drastica saepius etiam utebantur diureticis et adstringentibus, vera narcotica parum cognita ac diaphoretica apud Hippocratem non usu venire scio. Omnino autem in adhibendis quoque medicamentis laudatam illam reperimus Hippocratis simplicitatem. Quam cum in pluribus libris, verbi causa „de morbis mul. et de natura mul.", frustra quaeras, spurios esse facile credideris; neque etiam, quanquam longe plurima continent medicamenta, morborum decursum ut in scriptis Hippocratis diligentissime descriptum invenimus.

Quantum vero momentum in cognoscendis medicamentis Hipp. posuerit, haec doceant: „Medicamenta tu eorum simplices facultates, tu si quae descriptae sunt, probe tibi memoria teneantur. In animi etiam ratione reponantur, quae ad morborum curationem pertinent eorumque modi, quot et quomodo in singulis se habeant. Hoc enim in re medica principium, medium et finem obtinet" (24).

I. NARCOTICA.

Μήκων.

Papaver somniferum L., fam. Papaverac.; patr.: Oriens, cujus inprimis Aegyptus et Asia minor. *Μήκων* sine dubio tum herbam tum semen Papaveris somniferi significat. Verum Hippocratis interpretes *μηκώνα* interdum Papaver, interdum etiam Peplum sumunt; quamvis falso; utrumque enim quoad effectum admodum inter se discrepant. Opium autem utrum noverint medici antiqui? alii negant, alii affirmant. Dierbachus nosse eos, non adhibuisse arbitratur. Sit ita; mihi quidem multa Hippocratis et aequalium et Homeri ipsius loca, quibus *μήκωνα* medicamentum somniferum nominatur, hoc probare videntur, ut Opium non solum notum verum etiam usurpatum fuerit. Hippocrates plura *μήκωνος* commendat genera, de quibus in universo dicit: Papaver sistet, idque nigrum praestat magis, quod etiam album facit, potenter autem nutrit (357), et commendat id ad usum internum: in phthisibus (407, 538) alvi profluviis (568) metrorrhagia (639) fluore albo (641) scirrho (643) prolapsu uteri (657), moliminibus hystericis (580, 645, 647) praecipue cum sem. Urticae, et persaepe ad dolores leniendos, post partum gravem (614), in fistula ani inflammati (887) seu in dentium dolore, ubi *μήκωνα* „medicamentum somniferum" vocat.

Μανδραγόρα.

Mandragorae Theophrasti et Dioscorodis varia Atropae genera esse dicuntur, quorum illa Atropa Belladonna L.,

haec Atropa Mandragora L., quae, quod ad vim medicatricem attinet, Opio similis est. Hipp. Mandragoram in morbis adhibet, ubi eandem vim habet, quae Atropa Belladonna L. fam.; Solaneae, patr.: tota Europa, praecipue australis. Usus internus: In convulsione rad. (420), febri intermitt (474); externus: in pessariis: ad menses provocandas (621), in fluore uteri morboso c. sulphure et vino (669); ad cataplasm. in prolapsu uteri inflammati (890) etc.

Υοςκύαμος.

Dioscorides quatuor describit Hyosciami genera: album, luteum, rubrum et nigrum; album et lenissimum et aptissimum ratus medicamentum. Quapropter dixerim Hippocratis *υοςκύαμον* Hyosciamum album L. esse, fam. Solaneae, patria: tota Europa. Cujus Hipp. commendat ad usum internum: Semen cum Sylphio in quartana (477), semen ex vino nigro, si ex partu crus claudum ab uteris redditum fuerit, neque recte stare queat; levem autem mentis emotionem, quae ex ejus potu contingit, solvit lactis asinini calix in potum exhibitus (629); externum: ad uteri collutiones, si mola inest; sem. c. Sylphio ex aceto aut aqua (665); ad fomenta: fluorem uteri exiccandi foliorum c. cicuta decoctum (669) aut sterilitatis causa, foliorum et rad. decoct. post purgationem (681); ad suffitum uteri c. Galli et Olivae foliis (580) denique ad illinendum totum corpus in tetano traumatrico unguentum ex Absinthio, sem. Hyosciami, vino albo et oleo (561).

Κρόκος.

Crocus sativus L., fam. Irideae, patria: Oriens (Thracia), nunc in Europa australi excultus. Cujus nunc aegyptiacus, ab Hippocrate jam ita cognominata, et ab antiquis corycus praecipue aestimabatur. Hipp. eum solum deorsum usurpat: ut medicamentum ophthalmicum cum spodio etc., in oculi dolore c. Chalcite, Myrrha, Uvis passis et Musto, in lippitudine c. Cupro, Ebeno etc. (407) in ulceribus (614, 876)

ad uteri injectiones secundas et foetus ejiciendos (626), ad uteri suffitum (575), et in pessariis contra amenorrhoeam (626), physometram (665), sterilitatem (679, 682) atque omnino contra omnem uteri morbem (674).

Κώνιον.

Conium maculatum L., fam. Umbelliferae, patria: tota Europa. Athenis constat in supplicio maleficis afficiendo adhibitam fuisse potionem Cicutae. Quin etiam cur vertiginem inducat, stultitiam pariat, inde ab eo affectu deducitur nomen κωνιον a κωναν, quod est circumagi, circumvertere. Hippocrates commendat eam ad potiones histericas (572) praecipueque in hydrope (407). Deorsum deinde ad glandulas in sedem indendas contra molimina hysterica (647); ad uteri suffitum: contra sterilitatem aliosque uteri morbos (668, 681) et sem. ad cataplasmata in prolapsu ani (890).

Αἶρα.

Lolium tenulentum L., fam. Gramineae, quarum omnium hoc solum narcoticum esse videtur. Quare Hippocrates id ad usum solum externum commendavit: in pessariis contra amenorrhoeam (571), ad uteri fomenta contra metrorrhagiam (668), aliosque uteri morbos (585); ad uteri suffitum: contra sterilitatem (683).

Θρίδαξ.

Lactuca sativa L., fam. Cichorac., patria: Europ. australis. Omnes Lactucae genera dolorem plus minusve lenire atque tanquam Meconium et odorari et gustare dicuntur. Haec autem vis inde innascitur, quod omnes harum plantarum partes succum quendam lacteum habent, qui siccatus nomine Lactucarii adhuc officinalis inter narcotica jure refertur. Lactuca ut medicamentum contra amorem valere et concubandi impetum diminuere apud antiquos dicitur, unde veterum illa fabula, ubi Venus Adonem in Lactucae foliis involvit; quamobrem etiam Pythagoras eam Eunuchum vocat. Hippo-

crates vero: Lactuca, inquit, frigidissima est, priusquam succum habeat, imbecillitatem autem quandam corpori infert (359). Commendat eam ad usum internum: si ex partu sedis dolor adsit: Lactucae semen cum anserino adipe (629); externum: ad cataplasm.: in combustionibus ad dolores sedandos: Lactucam rubram (635).

Στρύχνος.

Ex descriptione Dioscoridis et verbis illis Cornelii Celsi, Graecorum strychnum solanum esse Romanorum, id ipsum Solanum nigrum L. habere solemus. Qua cum fere ubique ut nutrimento communi antiqui uterentur, Solanum autem nigrum veneno sit plenissimum, Sprengelius Physalem esse somniferam opinatur et Dierbachus Lucubalum bacciferum. Quoniam vero antiquos scimus permultis etiam narcoticis coquendo aut siccando vi veneno liberatis usos fuisse ut nutrimento communi, *Στρύχνον* idem esse posse quod Solanum nigrum L. consequitur, cujus omnino vis narcotica ab acerbitate superatur. — Hipp. in universo dicit: Solanum refrigerat et in somnis veneris ludibria prohibet (359) ejusque succus urinam movet et refrigerat. Cujus usurpat succum ad potiones in encephalitide (488) in hepatis morbo aliquo contra dolorem cum candido ovorum, melle et aqua (547). Deorsum ad injectiones uteri: in metritide post partum (570, 629), ad unguentum cum cupro, adipe anserino et suillae, melle et cera alba anum inflammatum illinendi (887); ad fomenta in uteri morbis (576).

Denique commemorandum

Κάμμαρον

quod apud Hipp. 418 in ardore febrili commendatum a Zeuxidi, Foesio etc. medicamentum refrigerans convertitur, permulti autem alii Aconiti speciem interpretant, propterea quod Dioscorides Aconitum aliquem nomine *κάμμαρον* describit.

II. ACRIA.

---

a) ACRIA EMETICA.

Ἐλλέβορος λευκός.

Omnium medicamentorum inprimis de Helleboro albo a medicis antiquis saepissime usurpato excellentissimas omnium temporum medici et botanici quaestiones et dissertationes faciebant. Attamen nondum certum est, quae Hellebori genera sint. Id adhuc scimus, Graecos duo genera notasse, nigrum et album, quorum hunc emeticum illum drasticum plurimum (non semper) adhibebant, quod plures apud Hippocratem loci demonstrant. Multorum autem *Ἐλλεβόρου λευκοῦ* interpretationum duo solum commemorari merentur: *a*) Veratrum album L., fam. Melanthaceae R. Brown, patria: Helvetia et Germania australis in alpibus. Interpretatio est plerorumque et maxima idonaea,, quamvis nondum secure obtinenda. *b*) Interpretatio Sibthorpii, qui Helleborum Dioscoridis Digitalem ferrugineam L. significare dicit. Quam quidem sententiam clarissimus Smithius non laudat, quae vero multa pro se habet. De qua solum commemoro illam, a. Joh. Pet. Frankio in Epitome suo: de curandis hominum morbis, affirmatam Digitalis vim emeticam et diureticam et Plinio etiam hydropicis praecipue commendatum fuisse; contra quod hydropicos a medicis antiquis plerumque drasticis curatos fuisse opponere possim. — Sit ita, sed quam maxime et Hippocrates eam existimabat, ex his multis praescriptis, inter omnes solum apud hanc plantam datis, intelligi potest, quorum nonnulla commemorare hic idoneum esse puto: Qui Helleboro sumpto non facile per superiora purgantur, iis ante potionem corpora copiosiore cibo et quiete praehumectato (1249). Helleborum epotum si celerius purgare voles, lavare aut cibum summere oportet (1185). Ubi quis Helleborum potione sumpserit, corporum quidem mo-

tiones magis, quam somnum et quietem inducito. Nam vel navigatio turbari motione corpora indicat. Ubi veratrum magis ducere voles, corpus moveto, ubi vero sistere, somnum conciliato neque moveto (1249). Contra-indicatio: Veratrum iis, qui sano sunt corpore periculosum, convulsionem enim educit (1249) et convulsio ex veratro lethalis est (209); iis deinde, qui abscessibus aut ex venae ruptione aut ob intemperantiam aut aliam validam quandam ob causam suppurati fuerint, veratrum minime dandum, cum nihil juvet, et si quid aeger patiatur, veratrum in causa esse videatur (403).

Indicatio: Si exoluto fuerit corpore, vel caput doluerit, aut aures, aut nares oppleantur, aut sputatio, aut genuum gravitas male vexit, aut corpus praeter consuetudinem intumescat, quidpuid horum contigerit, exhibebis, dum neque ex potibus neque ex rebus venereis neque ex moerore aut curis, neque ex vigiliis ista contingant. — Et commendat eum praecipue ad usum internum saepisse ut emeticum in stato gastrico, praeterea in febr. intermittenti, febr. nervosa (555), pneumonia (493) phthisi pulmonali et laryngaea (534, 536 etc.), morbis renalibus; in profluviis deinde ad revulsionem: dysenteria (405) diarrhoea (168), metrorrhagia (638) aliisque uteri fluoribus morbosis (640); in retentionibus: ictero (552), hydrope (545) etc.; in mentis alienationibus: melancholia (486) et insania (352); in febribus vulnerariis: in contusionibus et fracturis complicatis (775) post haemorrhoidarum et trichoseos operationem (406 etc.); in arthritide (554) ac denique ad caput purgandum (403); externum: ut sternutamentum in hysteria (670), ad clysmata in intestinorum difficultate (637), ad injectiones uteri exulcerati (575, 628), ac non raro in pesso contra varios uteri morbos (620) etc.

Σησαμοειδές.

Quam plantam Foesius et *σήσαμον* vocatam fuisse scribit, sed falso; varias enim esse hanc et *σήσαμον* om-

nes in uno botanici consentiunt. Quid autem Hippocratis σησαμοειδὲς sit, interpretari adhuc non poterant, quod omnes veterum de hac planta descriptiones breviores sint neque conveniunt. Dioscorides describit magnam et parvam eodem nomine, quarum plerique magnam Isophyrum thalitroides L. et parvam Astrantiam minorem habent. Vel nonnulli ad Theophrastum se revecantes idem quod Semen Hellobori albi L. esse dicunt. Ne multa. Hippocrates eam ut emeticum et Hellobori albi menstruum magni existimabat. Sesamoeides, inquit, cursum purgat ex oxymele tritum potu exhibitum. Admiscetur etiam veratris tertia potionis parte et ita minus suffocat (406). Idem repetid alio loco (1288), ubi addit: diuturnas etiam quartanos purgat et longa febre lypiria laborantes etc.

Νάρκισσος.

Narcissearum multa quidem in Graecia crescunt genera sed ex Dioscoridis descriptione Narcissum poeticum L. ut emeticum praecipue ab antiquis usurpatum fuisse patet. Vis autem illa emetica Narcisso Pseudonarcisso L. inprimis attribuitur, quae ut surrogatum Ipecacuanhae nuperrime erat commendata. Hippocrates Narcisso usus erat externe solum: in pesso ad menses educendas (619) atque omnino ad uterum expurgandum (645); ad eadem quoque oleo ex floribus praeparato (565, 587, 605).

b) ACRIA DRASTICA.

Ἐλλέβορος μέλας.

Antea a plerisque Helleborus niger L., nunc plurimum Helleborus orientalis Lamarque seu Helleb. officinalis Salisb. dictus; haec planta ab illa in omni diversa est, quam primus Tournefortius invenit et Sibthorpius in Graecia ubique vidit. Hippocrates eam saepissime usurpat ut drasticum contra dolores infra diaphragmatem cum Dauco, Seseli, Cumino, Aniso etc. (387). Ubi comparat eam cum

Peplio. Quanquam, ait, etiamsi inter se misceantur, unius sunt generis, neque dissimiliter agunt. Sed Helleborum nigrum tum melius, quam Peplium ventrem solvit, tum etiam ad crises magis valet. Peplium vero flatus magis erumpere facit. Dolorem autem haec duo sedant inter omnium medicamentòrum sedantium optima. Ita eam quoque commendat in pleuritide cum Pipero etiam inter initia morbi, ubi dolor urget (402), in tetano (491) lienis morbis (549), delirio trementi (558), uteri hydrope (620), ad foetum mortuum expellendum (627, 634 etc.); et contra sterilitatem adhibet illud a Conrado Gesnero etiam approbato mel elleboratum (683). Ad usum deinde externum eam commendat: ut causticum ad nares post polypi exstirpationem (472), deinde contra ulcera maligna (879). Pars etiam erat unguenti illius carici ad ulcera plerumque exhibiti, cujus confectionem docet in libro de ulceribus (878): „si liquido uti lubet, etiam caricum medicamentum ex Helleboro nigro, Sandaracho, aeris squama, plumbo eloto cum multo sulphure, auripigmento, cantharidibus compositum illinito. His prout videbitur confectis utitor cedria debilis.“ Deinde ad exsiccandas haemorrhoidas (893) et in pessariis contra dolores aut ad foetum mortuum expellendum (634).

Ἐλατήριον. Σικύη. Σίκυος ἄγριος *).

M o m o r d i c a E l a t e r i u m L., fam. Cucurbit., patr. Europa australis. Jam antiqui haud ignorantes illam vim Elaterii

---

*) Maximam apud antiquos autores interpretandi difficultatem faciunt Cucurbitaceae. Tanta enim naturae cognatio est inter Cucurbitas, Cucumeres Pepones et Melopepones, ut saepenumero et proprietates et nomina Graeci Latinique confundant. Unde adhuc multae in iis interpretandis varietates sunt. Ita Dierbachus *σικυον* pro Cucurbita citrillo sumit, quae secundum alios Cucumis sativus L. significat; *σίκυα* (*σίκυος πέπων*), ait Passowius, idem quod Phebe est, fructus Cucumeri Meloni L. similis, et *σικυος* Cucumis sativus L.; Dierbachus *κολοκύντην* pro Cucumere sativo

drasticam, quod bilem inprimis et pituitam purgare dicunt. Cum uno vero loco haec sese habeat: „plurimi morbi aut bile aut pituita oriuntur," facile intelligi potest, Elaterium saepissime in morbis usurpatum fuisse, quo denique forsitan factum, ut non solum quod ex Momordica Elaterio L. sit medicamentum sed quidquid alvum inferiorem expurgat, Ἐλατήριον nominatum fuisse. Dioscorides narrat, faeculam praecipue ex succo Elaterii expresso ut medicamentum adhibitum fuisse, verum et radicem, folia et grana apud Hippocratem usurpata reperimus. Usus internus: ut drasticum in cephalalgia, ex morbo aliquo renali orta (541), lethargia (1239), post paracynanchen (490), ad puerorum purgativa (634) etc.; ut expectorans (493), ad secunda expellenda (267). Frequens quoque erat usus externus: ad clysmata in coxendico morbo (560), contra renum dolores (1227), in scorbuto (557) et hydrope (54J); ad uteri exulcerati injectiones (628, 630); ad unguenta os uteri illiniendi, quo partus dolores adferatur (260), contra ephelides (667), ulcera et medicamentum id vocat, quod super excrescentem carnem detrahit, excavat et morsus est expers (877); ad formenta: in tumore et uteri doloribus (659) ad balnea in ictero (418). Frequentissime autem Elaterium adhibebatur in pessariis ad educendas menses, loehias et foetum (266, 584, 587, 619, 623, 625, 629, 631, 634 etc.), ad omnem puerperam (584, 666), si laxati fuerint uteri (266) contra abortum (263) sterilitatem (683), scirrhum uteri (660) etc. Commemoram denique hic et illum locum, ubi dicit: „Si mulier aut capra Elaterii succum devoraverint, etiam pueri purgantur" (1185).

L. accipit, Passowius pro Cucurbita Pepo L. etc. Ad Foesium et Dierbachum me revocans, non certa tamen fide hanc interpretationem facere audeo: σικύη et σίκυος ἄγριος = Elaterium Momordica L., σίκυος = Cucurbita Citrillus L., σίκυος πέπων = Cucumis Melo L., κολοκύντη = Cucumis sativus L. et σικυώνιον ac κολοκυνθὶς ἄγρια = Cucumis Colocynthis L.

Κολοκυνθὶς ἄγρια, Σικυώνιον.

Cujus ex Dioscoridis aliorumque descriptione Cucumis Colocynthis L. esse videtur. Σικυώνιον enim Colocynthis dicitur etiam a Plinio in uterorum purulentorum curatione indicata. Colocynthis veteribus praecipueque Arabis nomine Alhandal ut medicamentum drasticum existimabatur, omni vero jure nunc obsoleta est propter vehementissimam illam vim drasticam. Hippocrates eam usurpat ut drasticum bilem educens (637), in morbo quodam febris mortifera nominato (485) ad potiones ejectorias (625). Major est ejus usus externus: ad bilem expurgandum: ad balanos (574), in pesso (577) contra amenorrhoeam (582, 586), ad os uteri emolliendum (265); ad collutiones uteri exulcerati, si biliosa est (628, 630, 574) etc.

Ἄμπελος ἄγρια, ψιλώθριον, Ἐχέτρωςις, Μόδος.

Μόδος a Carol. Aureliano Bryonia, *Ἐχέτρωσις* a Galeno Bryonia alba convertitur, Dioscorides describit hanc plantam nomine *ἀμπέλου λευκῆς*, quae Bryonia cretica L. est et cum Hippocratis „*ἀμπέλῳ ἀγρίᾳ, ἣν ἔνιοι καλοῦσι ψιλώθριον*“ convenit. Unde intelligitur, unam eandemque plantam mire tam multa habere apud Hippocratem nomina. Bryoniae fructus maturus niger est, magnamque habet amaritatem Bryonin nominatam, quae in radice praecipue repraesentantem amaritatum omnium cucurbitaceis propriarum habere dicitur. Bryoniae autem acritas tanta est, ut usus jam externus cutem rubrefaciat et purget. Hippocrates radicem adhibet ad potiones in tetano (403) ad cataplasmata in prolapsu ani (889) ad uteri suffitum (575); ad injectiones et in pessariis contra uteri et pudendorum ulcera (574, 614, 633, 653).

Πέπλιον.

Haud minorem quam Cucurbitaceae difficultatem efficiunt nonnullae Euphorbiaceae, quod apud Hippocratem ceterosque

autores antiquos variis nominibus insignuntur. Ex hac enim varietate ita perturbati sunt interpretes, ut rem commiscentes μήκων modo Peplum modo Peplium modo Papaver somniferum converterent etc. Quam difficultatem tolli Dierbachus recte judicat, dummodo usum harum plantarum apud Hipp. diligenter sequimur. Unde Πέπλιον = Euphorbia Peplis L., Πέπλος et μηκώνιον = Euphorbia Peplus L., μήκων contra Papaver somniferum esse putaverim. Foesius ceterique interpretes quidem dicunt Peplium et Peplum figurae cognatione proxima esse, sed Peplium a Dioscoride et Peplis nominatum ramis demissis et foliis rotundis est insigne, cui bilem et pituitam expurgandi facultatem veteres attribuerunt, quodque Hippocratus commendat ad usum internum in statu gastrico (387) pneumonia (535) initio phthiseos, ad pituitam expurgandam (536, 1028) in morbis bile atra vaxatis. Quo sumpto bilem atram vomitione interdum rejectam scribit (1201).

Πέπλος. Μηκώνιον.

Euphorbia Peplus L. parva herba Euphorbiae falcatae L. in Graecia saepe quoque visae simillima. Hippocrates eam et μηκώνιον nominat. Quo nomine Peplus solus intelligatur, eandemque in rem antiquis usurpabatur. Galenus scribit: Peplus idem et chamasyce et papaver spumeum et meconium vocatur. Quod etiam Plinius. Erot. autem: Peplus est apud Hippocratem herbae species, quam nonnulli Peplium, quidam etiam Symphytum nominant. Dioscorides vero μηκώνιον, quam et μήκων vocat, Peplo non adnumerat sed ita describit, ut Euphorbia paralias L. esse videatur. Quod Grimmium ad opinionem induxerat, Πέπλων, Πέπλος et μηκώνιον seu μήκων tria unius ordinis genera esse. — Hippocrates commendat eam ad usum internum: in hydrope (407) pneumonia aliisque pectoris morbis (494, 535) statu gastrico bilioso (1028) in morbis bile atra vexatis, Lythargia etc. (1239); externum: ad uteri osculum emolliendum (265), ad uteri injectiones (575).

Τϊθύμαλλος.

Antiqui pluribus, quae noverant, Tithymalli generibus ut medicamentis utebantur. Quorum plura in Germania omnino non nascuntur, nec omnia qualia sint interpretari possumus, propterea quod eorum descriptio non satis accurate facta. Verum omnes botanici in eo consentiunt, *Τιθύμαλλον* ab Hipp. haud cognominatum esse Euphorbia Characias L. (nunc, ut Sibthorp. scribit *γαλαζιδα* nominatum). Cujus succus una c. herba aut granis Daphne Gnidii L., ut medicamentum pituitam purgans saepe usurpabatur. Quo modo autem succus parrandus deinde servandus et caute denique propter acritatem adhibendus sit, diligenter praescribit Dioscorides, qui multa omnino hac de planta docet. Usus apud Hipp. internus: in hydrope (407) in phthisi florida, tuberculosa et tabe dorsali (536) in febribus etc. (531); externus: folia ad catapl. rafrigerans in locis inflammatis (525). Ad uteri collutiones pituitam detrahendi (630) in pessariis ut emoliens etc. (265, 573). Tithymalli deinde magni (!) succum ut causticum usurpat in ani fistula curanda (884). Quae utrum Euphorbia Chalacias L. an Euph. dendroides etc. sit, decernere non audeo.

Χάριεν deinde herbae est cujusdam nomen apud Hipp. (626), cujus radix non multo adeo tempore ad umbilicum apposita, foetus mortuos ejicit, de Tithymalli radice, qui Charicias dicitur, num sumi possit quidem dubitant (Foes.).

Ἱπποφαές.

Euphorbia spinosa L., cujus nomen spinosae inde descendit, quod ramos aridos servans speciem habet spinosam, in Graecia ad maris littora non raro crescitur. Hippocrates ei vim pituitam purgandi attribuit et usurpat eam in uteris putrescendis ex partu, abortu etc. (263), in tabe dorsali (539), leucophlegmasia (543) hydrope (546) typho quodam (555), morbo aliquo crasso (559) ischiatis morbo a pituita orto (661) etc.

Κρῶτον.

Quae Ricinus dicitur Latinis, *κικι* aut *κικιον* Aegyptiis. Ricini autem plura nascuntur in Graecia genera, quae omnia de habitu ac facultate conveniunt. Ricinus communis L. cujus patria nondum definita est, in India praecipue et Africa reperitur, cujusque semen ut drasticum ab antiquis sicut oleum nunc ut eccoproticum etc. saepissime adhibetur. Hippocrates rad. pulv. ad menses educendas (573) et in hysteria (670) potu usurpat.

Κυπάρισσος.

Euphorbia Cyparissias L., fam. Euphorbiac., patria: tota Europa, cui ut omnibus ex hac familia plantis ille succus acer lacteus inest, vim habens drasticam. Cortex radicis nomine Esulae minoris officinalis erat. Hippocrates uno solum loco (465) pulverem ejus in ulceratum caput inspergere commendat.

Κνέστρον.

Daphne Gnidium L., fam. Thymel. a Sibthorpio in Graeciae montibus saepissime visum, cujus cognomen *Κνιδιος* (Gnidium) ab urbe quadam Cariae, Gnidos, derivatur, ubi Veneris statua a Praxitile facta ramis hujus herbae coronata fuerat. Cortex ut setaceum ad aures in amaurosi veteribus laudebatur, cort. et fruct. nomine cort. et bacc. Thymeleae in Italia et Francogallia adhibentur, fructusque rubri in Germania nomine sem. Coccognidii officinales sunt. Hippocrates usurpat folia et fructus (*κοκκοι κνιδιοι*) ut medicamenta pituitam purgantia, quae commendat ad usum internum in morbis pituitosis (543), in phthisi ulcer. (531), phthisi florida (536), tabe dorsali (539) aliisque phthisibus (477 etc.) hydrope (544, 558) et praecipue hydrop. lienali (546) atque in aliis lienis morbis (549), typho abdominali (554), ileo (556), morbo aliquo crasso (558) pneumonia (538) etc. — Ad usum externum: ad clysmata ex 60 granis: in fistula ani inflam-

mati et tenesmo, pituitam et stercus abducentia (887), ad injectiones uteri exulcerati (575, 620 etc.) et in metritide (662), in pesso ad lochias educendas (605), ut medicam. emolliens (660, 672), naribus ad suffitum in hysteria (572) etc.

Δαφνοῖδες.

Multarum hac de planta interpretationum veresimillima Caesalpini esse videtur, qui eam pro Daphne Laureola L. sumit. Cujus in Germania nunc solum cortex nomine Mezerei, semina autem antea nomine Coccognidii officinalia erant. Hippocrates usurpat eam ad uteri injectiones bilem ex utero expurgandi (575).

Πολύκαρπον.

Polycarpon herbam esse dicit Gal. in Exeg., quae et *κραταιογονον* nuncupata. Dioscorides vero et Plinius Krataiogonon quoddam quamquam breviter et obscure describunt, quod Passerina ciliata L. esse videtur. Hippocrates ejus cum melle decoctum lana inbutum ad pudenda perlinendum commendat (615).

Σκαμμώνιον.

Succus est induratus, ex inciso arbore effluens. Cujus Clamorus Marquart tria distinguit genera: 1) Convolvulacearum = Convolvulus Scammonia L. omnium optimum, 2) Asclaepiadearum = Cynanchum monspeliacum, quod Scammonium gallicum seu Diagrydium nominare solemus et 3) Apocynaearum. Quid autem est antiquorum Scammonium? Ex Convolvulaceis esse nunc inter omnes constat, utrum vero Convolvulus Scammonium L., Conv. ferinosus L. an sagittifolius L. sit, certe decernere difficile est. Ex multis tamen apud autores antiquos locis *Σκαμμώνια* cum Convolvulo Scammonia L. convenire videtur, de quo Tournefortius optimas dat explicationes. Hippocrates de Helloboro, Peplo et Scammonio in universo dicit: „haec tum sursum tum deorsum pituitam bilemque purgant, flatusque deducunt (597). Scammonii

vero radicem et succum usurpat plerumque ut medicamentum bilem expurgans in statu gastrico bilioso (642), morbis ardentibus cum statu bilioso ac borborysmis (401), in morbis chronicis sine febre (553), morbis pectoris (532), renum, praecipue in calculo (539), contra dolores capitis (540), hepatis (548), in typho quodam (556) et si ex partu non satis est purgata (684). Idem quoque in pesso ad omnem puerperam (571).

Επίθυμον.

Convolvulus arvensis L. nomine herbae Cuscutae minoris apud veteres officinales, neglectam deinde denuo oblivione subducit Larreyus; a medicis vero antiquis maxime aestimabatur propter vim suam clementer purgandi, quamobrem et Hippocrates eam adhibuit: in phthisi florida (536), phthisi renali (539) fluore albo (641) etc.

Κνῆκος.

Carthmus tinctorius L.; fam. Compositae, patria: Aegypt. et India, cujus flores colorandi magis et Crocum adulterandi causa adhibentur. Officinalia autem erant semina amara et oleosa propter vim drasticam, a Dioscoride jam diligenter descripta, de qua Hipp. in universo dicit: Carthamus dejicit sed alvum potius quam urinam movet (357, 360), et usurpat eum ad potiones in morbis acutis (497) in lethargia et febr. ardentibus una cum Elaterio et Peplio; ut medicamentum exsiccans et adstringens in pessariis contra metrorrhagiam (669) et alios uteri morbos, ut emolliens etc. (507, 574, 601).

᾽Ακτή.

Sambucus nigra L., fam. Caprifoliaceae. Cujus omnes partes modo hic modo illuc officinales: flores aethereae oleosae vi diaphoretica praecipue gaudentes, baccae (ex quibus Roob. Sambuci ut medicamentum diaphoreticum et diureticum notum), semina et folia ut drastica, sed cortex et vim

emeticam et drasticam habet. Succus ex seminibus oleosis inprimis expressus antea a Baerhavio et Sydenhamo ut hydragogum eximie laudabatur, qui ut purgans medicamentum domesticum adhuc celebratur. Baccae in Brytania adhuc ut medicam. drastic. adhibentur. Hipp. in universo dicit: Sambucus alvum potius quam urinam movet (360). Usus internus: succus foliarum ut drasticum (468), folia viridia c. Conyza in lienteria (556), flores c. oleo seu folia in aqua cocta ad lochias educendas (623), folia in farina tritica cocta in metritide (581, 609) in eodem morbo fructus ex vino mero (651, 629) seu c. Cumino, Castorio etc. (652), externus: ad injectiones uteri ex fructubus in ulceribus (574, 584, 627), in metrorrhagia (668), doloribus post purgationem vehementem (674); ad fomenta succus ad foetum expellendum et secunda (571, 576), contra uteri ulcera (615); ad suffitum uteri c. oleo decoctum in prolapsu uteri (671), ad cataplasmata: folia in uteri morbis (584).

Λευκόιον μέλας. Ἴον.

Viola odorata L., fam. Violaceae, patria: tota Europa. Cujus rad. et flores vi emetica et drastica gaudentes, et semen ut diureticum in lithiasi persaepe commendatas, Hippocrates potu usurpat in carcinomate uteri (570) et ad menses educendas (571).

Σκολοπένδρων.

Asplenium Ceterach L., fam. Felices, patria: tota Europa. Quod jam a Dioscoride Asplenon cognominatum et diligenter descriptum, a veteribus in morbis lienalibus et nunc in hypochondria eximie laudatur. Hippocrates uno solum loco (369) in universo Scolopendrium alvum movere et purgare dicit.

c) ACRIA DIURETICA.

Κανθαρίς.

Cantharis Hippocratis non Meloe vesicatorius L. sed M. Cichoreus L., ord. Celeopter. eadem vero vi esse dicitur, quem detractis capite, pedibus et alis Hipp. persaepe commendat ad usum internum: in hydrope (406), ictero et leucophlegmasia (552 etc.) ad menses et secunda educenda (565, 570) contra dolores vehementes aliosque uteri morbos (653, 673, 674 etc.); externum: ut causticum ad ulcera; erat etiam pars unguenti illius carici (878) et saepissime in pessariis ut purgans (569, 632, 833), foetum expellens (571, 624), emmenagogum (572, 620, 624), hydragogum (611) etc.

Βούπρηστις.

Carabus bucidum(?) Cantharidum genus vulgaribus alioqui forma et colore simile esse dicitur. Gal. in Exeges. Buprestis, ait, tum animal cantharidi affine, tum olus quoddam sylvestre. Idem Dioscorides, Theophrastus etc.; Plinius in laudibus ciborum buprestin Graecos reposuisse testatur, verum etiam addit et animal esse scarabeo longipedi simillimum, quod fallat inter herbas boves maxime devoratumque ita inflat, ut rumpat. Hippocrates Buprestin pariter ac Cantharidem detractis capite, pedibus et alis usurpat ad potiones: in hysteria (564, 646) ad menses, aquas, foetus et molas expellendas (619, 684 etc.) et in pesso ad uteros inflandos et expurgandos (620 etc.) ad sedandum dolorem (573 etc.). Opinio denique nonnullorum hic commemoranda, qui Buprestin pro cimice baccarum sumunt; vel et Schroederius tribus cimicibus contusis foetum et placentam expulsisse dicit.

Σκύλλη.

Scilla maritima L., fam. Liliac., patr. Europa australis ad littora maris mediterranei. Quam veteres jam Aegyptii contra hydropem usurpantes ita existimabant, ut ei nomine *κρομμυον* templum aedificarent. Usus ejus internus

apud Hipp. in phthisibus (407); externus: ad medicamenta ophtalmica cum Spodio et Myrrho (636); in pesso: ad aquam, menses et pituitam detrahendas (574, 587) in hysteroloxia laterali (565, 653), ad unguenta emollientia, quae etiam decoras cicatrices efficiunt, ad vulnera et combustiones (265, 565, 880, 881).

Ραφανὶς.

Raphanus sativus L., fam. Crucifer-, patr. tota Europa, apud antiquos, ut Plinius narrat, nutrimentum erat magni existimatum. Hippocrates in universo: Raphanus, inquit, humectat, pituitam sua acrimonia diffundenda, folia vero minus, nisi arthritide. Radix vitiosa est, quod per summa fluit et aegre concoquitur (359). Cujus usus erat internus: in phthisi pulmonali (476); radiculam deinde in eodem morbo (534) Raphanus longus in metritide cum fluore (640) Raphani semen tritum cum aceto et adipe anserino contra abortum (686); externus contra crinium defluvium (667).

Συρμαία.

Cochlearia Armoracia L., fam. Crucifer., patr. Europa austr. *Συρμαία* quibusdam dicitur raphanus quidam, qui vomitui excitando idoneus esset. Aristophani interpres *εν ειριμη, συρμαιον* esse scribit succum herbae cujusdam, quo utúntur Aegyptii ad excitandum ventris proflovium. Raphanique cujusdam ab Herodoto *Συρμαιον* vocati succo Aegyptii usi fuisse dicuntur ad purgandum alvum. Syrmaeam apud Hippocratem uno solum loco commemoratam reperimus, quo cum Aerugine ut emmenagogum commendatur (626).

Ασπάραγος.

Asparagus officinalis L. Cujus radix a veteribus medicis inter radices quinque aperientes numerata ac praecipue ut diureticum in hydrope et lithiasi existimata fuerat. Hippocrates: Asparagus, ait, siccus est et alvum sistit (359), alii contra antiquorum autores contrarium de eo dicunt. Hipp.

usurpat semen ex vino contra amenorrhoeam (265) et sterilitatem (622). Chrysippus Asparagum in haematuresi commendat.

d) ACRIA PURA.

Κάρδαμον. Σαυρίδιον.

Lepidium sativum L., fam. Crucifer., patr. Persia. Hippocrates in universo dicit: Lepidium calidum est et carnem liquefacit, pituitam albam sistit, proindeque stranguriam infert (359). Idem Socrates apud Aristophanem: „Stranguriam habeo, quod Lepidium commendavi:" et Xenophon narrat, Persas publice urinam, sputum et narum mucum reddere se putentes Lepidium haec omnia retinens commendasse. — Cujus erat apud Hippocratem usus internus: ut expectorans (495), ut emmenagogum (571) in typho abdominali (554), blennorhoeis (601) ad lac evocandum, si deficiat (608, 583) etc.; externus: ad inhalationem c. Origano et Natro in angina (469), c. aliis medicamentis contra impetigines (663) et ut siccum causticum contra ulcera (875).

Λεπίδιον.

Lepidium latifolium L., fam. Cruciferae a Graecis adhuc λεπιδι nominatum, apud Hippocratem contra ephelidas ad usum externum commendatur (667).

Θλάσπις.

Thlaspi Bursa pastoris L., fam. Crucifer., patria: tota Europa, cujus semen praecipue aestuosum et mordax est. Apud Hipp. ad injectiones uteri exulcerati (575, 628), et in pessariis ad bilem ex utero purgandum (573, 629) commendatur.

Ισάτις.

Isatis tinctoria L., fam. Crucifer. herba est, quae Notorhizeis nucumentaceis insignis illum pigmentum indicum continet, quamque antiquissimis jam temporibus ad coloran-

dum exhibitam fuisse, Dioscorides narrat. Cujus fit mentio ap. Caes. lib. 5. de bello gallico. Hinc *ισατωδης χολη* bilis glastea dicitur, glastum colore caesio referens, accerrima calidissima et mordacissima, atrae bili consistentia, colore et viribus proxima extremamque inter omnia bilis genera malignitatem obtinens. (Foesius.) Hipp. ejus solum admovet folia aut succum cataplasmate locis inflammatis (525) seu in erysipelatis metu ulceribus (874).

Νᾶπυ.

Sinapis num nigra num alba L., fam. Crucifer. sit, nescimus, quod plura in Graecia Sinapis genera nascuntur et apud Hipp. semper *Νᾶπυ* non cognominatum commendatur. Sinapi, inquit, calidum est, et alvum dejicit, sed et hoc urinae difficultatem parit (359). Exhibebatur ut expectorans cum radice Ari maculati L. (493, 495) et contra sterilitatem: si uteri osculum praepingue et crassum eamque ob causam non conciperet, Sinape coctum jejuna edat et vinum merum (595).

Εὔζωμον.

Brassica Eruca L., fam. Crucifer., patria: Europa australis, de quo Hipp. idem quod de Sinapi dicit (359).

Ἐρύσιμον.

Sisymbrium polyceratium L., fam. Cruficer. (herbe aux chantres?) antea falso semper pro Erysimo officinali sumptum et a Mathiolo nomine Irio altera effinctum. Hipp. Sisymbrium, ait, humectat et alvum dejicit (356). Cujus usus erat internus: in morbis pectoris (480), ad potiones hystericas (572), ad lochias educendas (624), in metrorrhagia (640); externus: in pessariis ad menses, lochias et aquam educendas (624), ad unguenta contra ulcera (878).

Λευκοίον.

Cheiranthus Cheiri L., fam. Crucifer. Cujus flores odoriferae antea nomine Cheiri officinales. Hippocrates sem.

infusum potu adhibuit ad educendas lochias, menses, foetus et plancentas (570, 587 etc.), sem. et rad. decoctum ad uteri injectiones in metrorrhagia (668), et ad suffitum (575).

Βατράχιον.

Qualis sit Ranuncula, pro certo scire nullo pacto possumus, quod apud veteres omnia eodem modo genera describuntur. Cujus commendat Hipp. foliorum et florum decoctum ut emmenagogum et abortivum (571, 625, 634), contra dolorem uteri inprimis ubi carcinoma suspicatur (570).

Ἀνεμώνη.

Anemone coronaria L., fam. Ranunculac. Cujus multa in Graecia genera sunt, venenata acerbitate insignia. Hippocrates Anemonis deorsum solum usurpat in pesso: folia ad educendas menses (573), Anemonis caput cum farina et oleo albo ut humidorum genus quodvis educens ex utero (672), in hysteria (670), aliisque uteri morbis (598); succum ad medicamenta caustica (635).

Σταφὶς ἄγρια.

Delphinum staphis agria, fam. Ranunculac., patr. Europa austr., cujus magna semina odore gravi et gustu molesto, aestuoso et amaro, vehementem vim drasticam habentia a veteribus ut anthelminticum aestimabantur, omni jure nunc pro usu interno obsoleta, ad unguentum solum pediculorum adhibentur. Insecta quoque interficiendi vim habere dicuntur, quapropter vestes et corpora morbosorum in hospitiis Brytannicis advenientium pulvere ejusdem insperguntur. Hipp. semina potu usurpat ad foetum expellendum (584), in pesso ad uteros expurgandos (266) osque uteri induratum emolliendum (265).

Μελάνθιον.

Nigella sativa L., fam. Ranuncul., patr. Asia minor et Europa austral., gustu acro aromatico a veteribus (Sennert,

Plater etc.) ut resolvens et purgans adhibebatur. Hippocrates Melanthium, quod Cypricum idque triticum seu ex tritico delectum (683) praecipue aestimat, febres articulorumque tumorem inducere, valde etiam mordax esse scribit, et commendat ad potiones: bilem ex utero expurgandi (629), contra sterilitatem (683), atque omnino ad potiones hystericas (572). Major est usus externus: in pesso: contra sterilitatem (621, 625, 683 etc.), ad menses educendas (606, 619) etc.; ad uteri injectiones: c. Cumino etc. contra sterilitatem (679), contra vehementem uteri dolorem et stranguriam cum Myrrha et Thure (679).

Γλυκυσίδη.

Paeonia officinalis L., fam. Ranuncul., patr. Europa austral. Cujus inprimis radix viridis mordacem, dulcamarum habet gustum et adstringentem, siccata amariorem; sed et radici praecipue materia acra narcotica inesse videtur. Galenus jam eam ut optimum contra epilepsiam medicamentum commendavit, quod Willisius postea repetiit. Hipp. rad. et sem. ad muliebra persaepe mala potu utitur in tota de mulierum morborum tractatione ad educendas menses (265, 565, 587) et lochias (671), ad molam expellendam (684), ad partum accelerandum (571, 603), contra menstrua nimia (267), metrorrhagiam (667), et si praegnanti menses appareant (687), in hysteroloxia laterali (565, 654), ut dolorum sedans et purgans (572), in hysteria (669, 670), in typho abdominali (554). In pesso: cum melle, rosis et unguento aegyptiaco ad omnem puerperam (571) atque omnino ut medicamentum emolliens et purgationem vehementer faciens (265).

Δρακόντιον.

Arum Dracunculus L., cujus ut omnium ex familia Aroidearum partes acerrimae sunt omnes et faelicula opulentae. Plinius: est Dràcontion, ait, herba magnae cum aro litis, folio constans hederaceo magno, candidis notis insignis, caule bicubitali, recto, versi colore maculis resperso purpu-

reis ita ut anguem referat, unde et nomen habet. Hippocrates eam et Radicem albam solum vocatam ad usum commendat internum: in morbis pectoris, praecipue phthisi pulmonali cum Helleboro neque melle, ne purgat (477), ut ecclegma ad rupta thoracis et tussim (532), ad potiones hystericas (572) etc.; externum: in pessariis ad omnem puerperam (571), ad pituitam ex utero expurgandam (573), et contra sterilitatem (683).

Ἄρον.

Arum maculatum L., fam. Aroideae. Cujus rad. aestuosa et acerrima nomine Ari seu Alami officinalis erat. Antiqui plura jam Ari genera notarunt. Arum autem apud antiquos non cognominatum Arum maculatum L. habere solemus. Quod Hipp. commendavit ad usum internum: ut expectorans praecipue cum Dauco et Urticae sem. (476, 493, 495); externum: ad cataplasmata radicem et folia in combustionibus (881) sic etiam post corneae ustionem etc.; farinam ex aqua coctam in prolapsu ani (890). Pulvis ejus deinde in vulnera recentia inspergendus, quod maxime ab his suppurationem avertit (877) et in ulcera post unguentum adhibitum caricum (878) atque omnino ut emolliens medicamentum (265).

Σκόροδον.

Allium sativum L., fam. Liliac. antiquissimis jam temporibus adcultum et pariter ac Sylphium ut medicamentum et diaeteticum magnum existimatum. Cui Aegyptii ut optimo nutrimento consecrabant, quodque Romani militibus ad animum excitandum cibo dabant. In universo Hippocrates: Allia, inquit, cocta et assata et urinam promovent et per alvum secedunt, et ad menstrua muliebra conferunt (529). Deinde: Allium flatum et caliditatem circa thoracem facit, capitis gravitatem et anxietudinem parit, et si quis alius dolor fieri consueverat, eum graviorem praeditum. Optime autem editur eo, qui se ad compotationem comparare volet, aut jam ebrius

est (404). Postea: Allium calidum urinam et alvum movet, oculis minime bonum. Cum enim multam corporis purgationem faciat, aciem habetat, alvum autem et urinam propter vim purgantem; coctum crudo imbecillius, flatum autem parit propter spiritus vehementiam (359). Succus urinam movet et refrigerat (360). Contraindicatio: in asthmate et epilepsia (302). Usus internus: contra abortum, quod flatum in utero excitat (267, 685), sterilitatem (622), ut emmenagogum (529) hydragogum (564), ad educendas lochias (608), contra ascarides (666), metritidem c. fluore (640), scirrhum uteri (649), febr. quartanam (474), phthisem pulm. (470, 531), pneumoniam gravem (481), leukophlegmasiam (543), oculorum mala (1046) et ut malignorum dolorum remedium (1190); externus: in pesso: contra dolorem uteri (583, 673), ad expurgandum (630, 631, 672) et explorandam foecunditatem (625); ad suffitum: ut os uteri clausum dehiscat (265), quare etiam contra sterilitatem (682); ad fomenta: in scirrho uteri (649); et ad catasplasm. in inflammatione ani (887), in metrorrhagia (667) aliisque mulier. morbis (584).

Μυτλοτον denique hic commemorandum est, quod tritum Dioscorides esse ait alliorum vel ceparum et Plinius pulmentarium ruris nominat ex Allio cyprio, Cepis et oleo coctum. Apud Hipp. in hydrope, morbi initio commendatum videmus, si vomat neque lac bibat (1056).

Πράσον.

Allium Porrum L., fam. Liliac. Idem valet quod Allium sativum apud Hipp., qui utrumque simul fere semper, itaque plurimum in morbis mul. commendat atque haec in universo dicit: Porrum minus quidem (quam Allium) calefacit, urinam vero et alvum movet, habetque vim quandam purgantem, humectat autem et ructum acidum sedat, ipsumque post reliquos cibos commedere praestat (359). Deinde: Porra cocta quidem urinam et alvum movent, cruda vero incendium et inflammationem excitant (529). Succus vi diuretica et emetica gaudet (1230). Cujus usus internus: ad excludendum

foetum (625, 634), et molam (1149), in hysteria (581, 645), scirrho uteri (265, 651), metrorrhagia (583), metritide (582, 640), ad lac provocandum (608), in statu gastrico bilioso (271). Saepissime autem ad dolorem leniendum (582, 608, 674 etc.).

Κρόμμυον.

Jam Dioscorides duo ceparum genera describit: Cepam rotundam = Allium Cepam L. et Cepam oblongam = Allium fistulosum. Quod discrimen apud Hipp. nondum factum videmus, qui in universo dicit: „Cepa oculorum quidem aciei commoda, corpori vero noxia, quod calida et aestuosa sit et per alvum secedat. Nullum enim alimentum corpori neque utilitatem praebet, calefaciendo autem exiccat propter succum (359). Deinde: Cepae ad urinam accommodatae, succus enim acrimonia quadam excitat adeo ut per alvum demittatur. Quibus sic utitor, ut ne tamen imbecillis exhibeas (529). Aliis denique locis (1201, 1230) ei vim emeticam attribuitur et in morbo sacro contraindicitur (302). Commendat autem Cepam pariter ac Allium sativum in morb. mul. tractatione et praecipue contra sterilitatem (622), metritidem c. fluore (640) et praeterea ut medicam. puerorum purgans (634).

Μόλυζα.

Allium subhirsutum L., fam. Liliac. Unam eandemque esse scimus plantam ab Hippocrate *μολυζαν*, Homero et Dioscoride *μολυ* nominatam, quod Sprengelius in historia sua Theophrasti plantarum diligenter explicat. Moly autem Homeri plerique pro Allio subhirsuto L. sumunt, quod Hipp. persaepe in pesso (583, 584, 625 etc.) usurpat.

Βολβός, Βολβίον.

Quo antiqui nomine omnem cepam seu radicem tuberosam nominasse solebant. Unde teste Galeni in Exeg. male quidam bulbi nomine Narcissum significari putarunt, propterea quod sit radice bulbosa, revocantes se ad locum illum (665)

apud Hipp., ubi *βολβίον* plantam esse dicit, quae in tritico praecipueque Aegyptio cernatur, acram cuminoque aethiopico similem. Attamen Hippocratis *βολβίον* interpretandi difficillimum est. Probabilis quidem interpretatio: Hyacinthi comosi L., qui adhuc Graecis *βολβο* nominatur. Hipp. sem. et flores solum in pessariis admovet: ad uteros expurgandos (265) atque praecipue conceptui repurgandos (584, 586, 622 etc.), ad uteros semen non retinentes (665), recens enixae (584) et c. Myrrha et melle ut medicam. optimum in metrorrhagia (669); succum deinde ut dolorem sedans (1235).

Ολοκωνιτις denique commemoranda est, quam Dulchinum quidam esse existimant. Herba quaedam agrestis oleracea, quae bulbum refert et parva est velut oliva. Hipp. eam ex vino tritam potu ad placentam expellendam commendat (626).

Ἀσφόδηλος.

Asphodelus ramosus L., fam. Liliac., patria: Europa australis, ab antiquis ut medicam. et nutrimentum magni existimabatur, cujus caulis praecipue et anthericon (quod et frumenta et caulem significat) nominabatur, de quo Plinius (I. 21. cap. 17.): Theophrastus et omnes fere Graeci princepsque Pythagoras caulem ejus cubitalem, foliis porri sylvestris, anthericon vocavere: radicem vero id est bolbos, asphodelon. Apud Hipp. raro solum commemoratum videmus. Usus internus: folia in ictero (472), semen in morbis lienalibus, ubi lienem extenuans nominatur (549); externus: rad. c. adipe suillae in vino contra combustiones (881).

Τηλέφων.

Sedum acre L. (?), fam. Crassulac. De Cond. Multas quidem hujus plantae descriptiones apud antiquos reperimus, ita tamen comparatas, ut nihil quidquam certi inde proficiscatur. In eo saltem omnes conveniunt, ut sit Sedum quoddam idque acerrimum. Plures censent esse Sedum Telephium L., equidem vero consentiam Dierbacho Sedum acre L. existimanti. Quod Hipp. usurpat solum externe in pessa-

riis contra affectus hystericos (670) et ad menses educendas (573).

Κυκλάμινος.

Cyclamen persicum Mill., fam. Primulac., omnium in Graecia Cyclaminis generum cum Dioscoride descripto Cyclamine optime conveniens, cujus rad. viridis acer et gustu amaro pellens et succus magna vi drastica gaudere dicitur. Veteres succum ut medicam. resolvens in stasibus abdominalibus adhibebant. Hipp. usurpat interne succum in phthisi pulm. (476); multo vero saepius externe in pessariis: ut emolliens in scirrho uteri (265, 573, 577, 620, 658, 660 etc.), contra dolorem in uteri hydrope (577, 664, 673), ut hydragogum et emmenagogum (266, 578, 661), ad lochias educendas (566), contra abortum (612).

Ἀναγαλλίς.

Anagallis arvensis L., fam. Primulac., a Dioscoride jam et Plinio contra varios morbos ut medicamentum laudabatur. Erant autem et sunt medici (Aetius, Paulus Aeginata, Kaempfius, Vogelius etc.), hanc plantam ut optimum remedium contra dementiam aliosque nervorum systemate ortos morbos commendantes. Alii contra indifferentem eam ut medicamentum nullius momenti habent. Hipp. Anagallem cum Alumine et Orchimono contra ulcera externe adhibet (879).

Κάππαρις.

Capparis spinosa L., fam. Capparid., patr. Europa australis. Cujus Hipp. potu adhibet cort. et rad. ut expectorantia (493), folia ad cataplasmata contra dolorem ani ac molimina hypochondriaca (879).

Χαμαίλεων μέλας.

Carthamus corymbosus L., fam. Compos. Antiqui Chamaeleon album et nigrum notaverunt, quorum apud Hipp. non cognominatum album esse omnes interpretes dicunt et a

Linneo nomine Atractilis, Walldanowio Acarne gummiferum, describitur, sed nigrum Carthamus corymbosus, antea nomine rad. Chamaeleontis nigri officinalis, acerrimus et veneficissimus, quare ab antiquis externe solum adhibebatur. Hipp. Carthamum ut causticum siccum ad vulnera cum ficis et felle tauri (878), ad ulcera maligna cum alumine et ficorum succo (879) commendat.

Ἀκαλυφη.

Quae secundum Dioscoridis descriptionem Urtica dioica L. esse potest seu Urtica urens (nominibus herbae Urticae majoris et minoris officinales), seu Urtica pilulifera L. (cujus semen nomine Urticae romanae antea saepe ut medicam. usurpabatur). Urticae herbam et antiqui pariter ac nunc in Brytannia egeni ut olus et medicam. diureticum et lythotripticum adhibebant. Hipp. in universo dicit: Urtica alvum movet et purgat (360); cujus commendat ad usum internum: semen in pectoris morbis: pneumonia ut expectorans, et praecipue phthisi pulm. (denuo a Laugio et Querino commendat.) (493 etc.), contra uteri morbos (572) praecipue metrorrhagiam (639), fluorem album (641), fluorem aquosum, si gravida intumescat (602 etc.); externum: in pesso: ad uterum purgandum (620); ad uteri injectiones (664); contra crinium defluvium, quod si capilli cum cutis glabritie decidant, cutem urticis frottare (667).

Πήγανον.

Ruta graveolens L., fam. Rutaceae, patr. Europa australis ac praecipue insulae Archipelagi. Cui multum inest oleum acre quoddam aethereum et substantia gummosa amara. Herba nomine Rutae hortensis antea officinalis a Boerhavio ut resolvens eximie laudabatur. Hipp. in universo: Ruta, ait, urinam magis quam alvum movet. Quandam etiam cogendi vim habet et praepota adversus venena (526). Et commendat sem. et folia ad usum internum: in phthisi pulm. (476, 538), pneumonia ut expectorans (493), lienis morbis ut lie-

nem extenuans (549), post purgationes, si corpus exiccare voles (526), ad lochias educendas (608), in scirrho uteri (652) in hysteria (670) aliisque uteri morbis (572); externum; ad cataplasm. in tumoribus (874).

Ἀριστολοχία.

Cujus Dioscorides tria describit genera: rotunda = Aristolochia pallida, longa = Arist. sempervirens, cirrhata = Arist. altissima. Quarum quam Hipp. adhibuisset, definire non audeo, quum nihil, quod hanc explicare possit, apud eum inveniatur. Commendat eam ad usum internum: in pleuritide; si ad laterum dolores etiam praecordiorum dolor accesserit cum Hyssopo, Cumino, Sylphio, Peplo, aeris flore, melle ex aceto et aqua (494), in hydrothorace post paracentesem ad exiccandum cum Sylphio (545), saepius vero in uteri morbis (572), in amenorrhoea (620), hysteria (670) etc.; externum: pulvis ejus in vulnera et ulcera post elutiones ex aqua inspergenda, ne putrescant (877).

III. GUMMI RESINOSA.

Σίλφιον.

Ferula Asa foetida, fam. Umbellif., patr. Persia, praecipue provinc. Chorasan et Laar; ut medicamentum antiquissimis jam temporibus pariter ac nunc maxime existimata. Attamen in Sylphio antiquorum interpretando botanici nondum consentiunt. Sylphium antea pro Benzoe sumptum nunc aliis aliter interpretatur. Sprengelius duo accipit genera; Cyrenaicum et Medicum, quorum hoc a Ferula Asa foetida, illud Laserpitio gummifero oriri dicit. Veresimillimum est, Sylphium illud ab Hippocrate et Dioscoride descriptum Ferulam Asam foetidam esse, quam antiquissimis jam temporibus Arabi cognoverant. Cujus Aristophanus in Scholiis suis in

ventor (617 a. Chr.) dicitur, quod, ut Sprengelius dicit, cum Theophrasti et Plinii opinione convenit, Laserpitium seu Sylphium 7. annos ante Cyrenam fundatam (600 a. Chr.) cognotum fuisse. Hippocrates in universo dicit: Laserpitium tum caule tum succo quibusdam quidem maxime, in expertis vero per alvum minime descendit, et choleram aridam nominatam parit, idque praecipue si cum multo caseo, aut bubularum carnium esu misceatur (404); et semen et scobem contritum bibendum et quam plurimum in prandio et coena edendum in multis praecipueque mulierum morbis ut diaeteticum commendat (554, 652 etc.). In hysteria deinde (651), physometra (675), quod flatus excitat, amenorrhoea (582), metritide, ut emmenagogum et abortivum (571, 608, 626), contra sterilitatem et abortum (263). Praeterea in phthisi pulm. (534, 476, 479), contra dolorem in pleuritide aliisque morbis (495), contra singultum in febribus (401), ut expectorans in pneumonia (493), in febr. intermittentibus (479), hydrope (545), diarrhoea (555), in hepatis indurationibus (545); externe: naribus ad suffitum in hysteria (645) et praeterea in pesso ut emolliens, inflans et purgans (263, 265 etc.), ad cataplasma in prolapsu ani (889).

Hic et commemorandum *φύλλον, αἰθιοπικῆσ ῥίζης* tritum potu contra lithiasin puellarum per 20 dies usurpatum (584). Ex Dioscoridis et Plinii descriptione *αιθιοπιν* Salviam Aethiopin L. esse patet. Quum vero *φυλλον* apud Hipp., cui addit interdum Libycum interdum etiam Aethiopicum (582, 626, 651), exponat Gal. in Exeges. Sylphii semen quod latum sit, plerique *φυλλον αιθιοπικης ριζης* pro semine Ferulae Asae foetidae sumunt.

Νάρθηξ.

Ferula glauca L., fam. Umbellifer. adhuc *Ναρθηκα* a Graecis vocatur. Cujus radicem Hipp. usurpat contra hysteriam (673) et metrorrhagiam cum Porri succo ex vino albo aqua temperato, quod etiam fluentem ex naribus sanguinem sedans dicitur (667).

Σαγάπηνον.

Ferula persica Wild., fam. Umbellif. succum Asae foetidae similem habet, qui Sagapenum Medicum a Dioscoride vocatur; aliud quoque Sagopenum describit, quod ex Nartheka oriri dicit. Hipp. Sagapenum ad usum internum et externum cum Aspalato et Natro ex vino et oleo ad placentam expellendam commendat (626).

Χαλβάνη.

Gummi Galbanum ex Bubone Galbano L., fam. Umbellifer. oriri Lindl. etc. dicunt, quod Sprengelius et Donus negant. Hipp. Galbanum ad ecclegma cum Cumino et melle commendat contra singultum et febr. (401); in pesso: recens enixae (584), contra sterilitatem (262), ad partum accelerandum (623) atque omnino ut emmenagogum (626, 639), purgans (628) et ad uteri suffitum (424, 575).

Ἀμμωνιακόν.

Gummi Ammoniacum, Galbano simillimum, quod aliis aliter interpretatur. Ita antea ex Ferula orientali L. oriri dicebatur, quod Kochius negavit, a plerisque nunc, fructibus a Szowitsio inventis et Fischero ad Treviranum missis, ex Ferula Ammoniaco, fam. Umbellif., patr. Persia oriens accipitur. Hoc constituit nuperrime Wrightius in Persia proficiscens, qui fructum ejus cum gutto Ammoniaci adhaerente Londinium misit. Hipp. Ammoniacum ex vino in hysteria commendat (670).

Πάνακες.

Gummi Opoponax ex Pastinaca Opopon. L., fam. Umbellifer., patr. Europa austr. et Asia min. nunc obsoletum, a veteribus in morbis pectoris secundum irritandi methodum non raro usurpabatur. Diversa Panakis genera describit Dioscorides, quorum hoc Opopon. reddens ηρακλειον quoque vocat et pariter ac Hipp. commendat ad usum internum: in

hepatitide et diaphragmatitide (402), ut emmenagogum (571), in hysteria ex aqua seu vino (670), atque omnino ad potiones hystericas (572) et ad uteri suffitum (585).

Σμύῤῥα.

Myrrha, quam lachrymam esse arboris Arabicae spinae Aegyptiae non dissimilem Dioscorides scribit, ex Balsamodendro Myrrha nobili Link et Amyre Kataf Forsk, alio ex fam. Amyridarum genere oritur, utramque Ehrenbergius in Arabia invenit. Myrrham antiquissimis jam temporibus maxime existimatam Hipp. in omnibus mulierum morbis praesertim cum thure, pice et aromaticis usurpat, et *σταχτην* = sponte effluentem optimam habet. Cujus usus erat internus: in morbis pectoris (401), hysteria (423, 670 etc.), contra uteri dolores (571 etc.); externus: in pesso contra omnes fere uteri morbos praecipueque in ulceratione (465, 574, 581, 583, 607 etc.), ad injectiones (574, 605, 627, 628 etc.) et ad suffitum in hysteroloxia lateral. (565), in amenorrhoea (265, 266, 565, 576) etc.

IV. RESINOSA AETHEREA.

Τέρμινθος.

Pistacia terebinthus L., fam. Cassuv., patr. Asia min. et Europa austr. Multa quidem sunt Terebinthinae genera, sed omnium optima Cypria est, seu de Chio, quod jam Dioscorides scripsit. Cujus collectionem in Creta et Chio (ubi rustici in arborum magnarum truncum securi incidunt, quo resina illa Therebintina in latas lapides propterea suppositas effluat etc.) Tournefortius (Reise in die Lewante) exactissime narrat, hanc Terebinthinam communem vocans. Hipp. commendat ad usum internum fructum Tereb. ex vino tritum et aqua contra dysmenorrhoeam (571) et vehementem

metrorrhagiam (667), resinam cum melle et vino contra molimina post partum (609) et partum facilem reddens; externum in pesso ut medicam. emolliens (265) emmenagogum (587, 670 etc.), ad unguenta contra ulcera cum succo uvarum (875) et ad cataplasma: germina viridissima (584).

Σχῖνος.

Pistacia Lentiscus L., fam. Cassuv., patr. Africa septent., Europa australi. et insul. Archipelagi. Cujus praecipue illam resinam de Chio pariter ac Therebinthinam collectam optimam habent, ubi iterum Mastichem et electam et communem distinguunt. Crassiorem etiam ex Italia et Hispania accipimus. Cujus solum externe usurpat Hipp. folia et succum ad uteri injectiones (585), praecipue post partum metritidis metu (570), resinam ad unguenta (620) et in pesso (587), oleum ex fructibus paratum etiam ad unguenta (635), ad balanum pro pueris (674).

Ὀπωβάλσαμον.

Amyris Opobalsamum L., fam. Amyrid., patr. Arabia et Aegypt., quam Strabo ita descripsit: Balsamus planta aromatica est, fructicosa, cytiso et terrebintho persimilis; hujus corticem scindentes succum in vasis suscipiunt, tenaci lacti persimilem: susceptus autem in conchis coagulatur: capitis dolores et suffusiones autem oculorum incipientes et hebetudinem visus mirifice sanat. Optimus est balsamus de Mecca, qui antiquissimis ex temporibus in Oriente contra ulcera, internas suppurationes et ut carminativum in fama est. Hipp. eum solum ad suffitum in uteri morbis commendat (575).

Λίβανος.

Interdum ipsa arbor thurifera dicitur, interdum etiam pro thure ponitur, quando quidem ejus plantae semen in usum venire non constat. Olibanum medicamentum est antiquissimum, cujus Graeci plura jam genera cognoverant, quorum indicum ex Boswellia serrat. Colebrooke sine dubio post Ale-

xandri expeditionem cognoverant. Utrum vero arabicum Amyris Kafal Forsk, an Juniperus thurifera Asiae minoris sit λιβανος Hippocratis, decernere non audeo. Hipp. adhibuit etiam Mannam, quae alio loco et χονδρος vocatur quamque Celsus thuris fuliginem vertisse videtur; micae sunt concussu elisae. Ideóque ab ipso thure differt, quod parvam quandam adstringendi habeat vim. (Foes.) Libanum Hipp. ad usum internum commendat: contra sterilitatem (264), ut expectorans (476), ad lochias educendas (571), contra asthma puerorum (634); externum in pessariis ad aquam et menses educendas et os uteri emolliendum (265, 574), contra sterilitatem (573, 622), contra exulcerationem et inflammationem oris uteri (609), ad balanum in sedem hystericarum (647), ad uteri collutiones: si virgini menses pro tempore non apparent et molimina faciunt (666), contra fluorem album (669), dolorem (674), ulcera uteri (574), ad suffitum, ut os uteri clausum dehiscat (265, 575) et contra dolorem vehementem (673); praeterea etiam ad unguenta contra ulcera (465, 877), impetigines (667), pustulas puerpurarum (1014), combustiones (881), tetanum (561) etc.

Δαῖς.

Quod significat aut arborem quandam aut quamvis ex Coniferis resinosam arborem, id est ordinis Pini. Cujus plura autem in Graecia genera crescunt, quae resinam, picem etc. continent, ut Pinus Picea L. nunc, ut Tournefortius narrat, πευκος, seu Pinus orientalis L. nunc Ελατη Graecis nominata. Quae cum apud Hipp. pinguis et resinosa cognominetur, Δαῖς Graecorum = teda seu taeda Latinorum = Pinus cambra L., quae plurimam habet resinam, accipitur. De quo Plinius: Sextum genus est teda proprie dicta, abundantior succo quam reliqua, parcior liquidiorque quam picea flammis ac lumini sacrorum etiam grata. Infra porro: pix liquida, ait, in Europa et teda cognitur, navalibus muniendis. Unde Dierbachus eam Pinum maritimam L. esse putat. Hipp. commendat taedam c. vino coctam in suppressione men-

sium (571, 591) et locharum (606, 566, 571), ad ejiciendum foetum (625), molam (684), contra sterilitatem (264, 678, 681) contra affectus hysteric. (strangulat.) (583, 669, 670).

Sunt et *δαιδια* Hipp. = taedulae oblongae, teretes et levigatae in pessulorum formam effictae, quae in uterum immittuntur, ut ejus occlusum osculum aperietur (597, 647, 651). Hic et fuligo resina, pix etc. commemorandae sunt, quae plurimum ex taeda interdum etiam ex aliis Pini generis arboribus sumēbantur.

a) Fuligo, quam relationem in uterum habere Hipp. dicit (634).

b) Resina: contra omnes fere uteri morbos usurpata in pessariis: si uterus exulcer. (574), si parere nequeat (622), contra sterilitatem (582), ad os uteri emolliendum (265, 574, 650); ad suffitum contra dolorem etc. (576, 668, 673); ad unguenta ad anum inflammatum (894), emplastra (829) et Resina c. aliis medicamentis ad umbilicum et ventrem alligandum, ut foetus mortuus ejiciatur.

c) Pix cum aromaticis cocta in pesso in lochiarum retentione (605), ad linimenta emollientia et purgantia (632, 670, 672); cum cera in aqua rosarum aut oleo liquefacta: ad emplastra *πισσηρα* nominatur etc. *Ὄρρον πιόσσην* deinde commemoram, humidum illud picis serosum, aut picis liquidae recrementum, quod supernatans velut serum lactis ad vulnera applicandum commendat (877); *πιστέλαιον* = oleum picinum mixturam quandam ex oleo et pice liquido, qua capillorum radices illinunt mulieres agrestes cedrini inopia in Asia, teste Gal.; *πίσσανθος* denique picis flos apud Hipp. commemoratur, quod idem esse quod *πιστέλαιον* Dioscorides, diversum ab eo Galenus dicit.

Πίτυς.

Quae nisi apud omnes Graecorum autores attamen apud Hippocratem pro Pino Pinea fam. Conifer., patr. Europa

austr. omni jure accipi potest. Num vero *κοκκαλοι* apud Hipp. fructus ipsos seu nuclei Pineae sint, affirmari non potest. Ut Galenus scribit: *κοκκαλοι* nuclei Pineae sunt. Sed Dioscorides *κοκκαλους* grana esse Gnidia dicit. Hipp. commendat ad usum internum: nucleos in pleuritide (401) et pneumonia (402), corticem vero in fluore albo (669); externum: corticem ad fomenta uteri contra ulcera in pudendis etc. (576, 634) et ad suffitum ad partum accelerandum (603) et resinam in hysteria (671).

Ἄρκευθος.

Juniperus communis L., fam. Conifer. Cujus praecipue baccas Hipp. usurpavit in plerisque mul. morbis (572 etc.), in tetano post partum (581), ad lac, si deficiat, provocandum (583, 608), in peritonitide puerpurali (609), si ex partu sedis dolor sit (629), contra molimina hysterica (645).

Κέδρος.

Quo nomine varii Graecorum antiqui autores varia Juniperi genera sumserunt, quam vero Hipp. semper cretica cognominat. Cum autem, ut Tournefortius narrat, Juniperus Oxycedrus L., in Creta inprimis crescens adhuc nominetur, dubitandum non est, *κέδρον* Hipp. Juniperum esse Oxycedrum L. Cujus commendat baccas ad usum internum: contra hysteriam (423, 575, 576), metrorrhagiam (572), fluorem album (669), dolores (634), ut emmenagogum (623); externum: Cedri ramenta ad uteri injectiones contra ulcera (574, 628), ad suffitum (575, 576), ad cataplasm. in metrorrhagia etc. (584, 667). Oleum cedrinum potu contra ascarides (666), ad unguentum caricum (878). *Κεδριαν*, resinam cedriam in pesso ut conceptum juvans (621) et expellens (639), ad uteri suffitum (585). *Κέδρον* = vinum cedrinum, cujus praeparationem Dioscorides describit, ad potiones hystericas (582) et mel cedrinum, quod vero secundum Galenum ex Pino Cedro L. in Libano in pellides exstillans colligitur, contra ulcera c. aliis medicamentis (876).

Κυπάρισσος.

Cupressus sempervirens L., fam. Conifer., quam Tournefortius praecipue in Creta frequenter vidit, antiquissimis temporibus magni existimabatur. Sacra erat Plutoni, symbolum omnino luctus, quam ob rem in sepulcri vicino amabatur. Commemoram solum Cupressorum lucum ad Corinthum. Sed ad alia sacra quoque exhibebatur: ita ex Ligno Cupressi Deorum statuas faciebant, quod etiam ad Deorum suffitum ut ad usum quoque medicinalem saepissime c. thure seu ligno Cedrino exhibebatur. Usus internus: baccarum contra metrorrhagiam (667) sed multo major usus est externus: in pesso baccarum contra metrorrhagiam (669), et ad menses et lochias educendas (586, 624), ramentorum in hydrope uteri (577), ad uteri injectiones (585), ad fomenta uterorum purulentorum, in Calculo (585) et ramentorum, seminis et rad. ad suffitum contra stranguriam (585, 677, 686 etc.), metrorrhagiam (668), ut os uteri clausum aperiatur (265 etc.).

Ἔβενος.

Diospyrus Ebenum Retz, fam. Ebenaceae Rich., patr. India. Quam nonnulli pro Anthylli cretica W. sumant, sed falso, quod Dioscorides eandem ut Hippocrates contra lippitudinem (407) commendat et ex India venire affirmat.

Στύραξ.

Styrax officinalis L., fam. Styraceae, patr. Oriens pracipueque Palaestina, Syria et insulae Archipelagi, cujus resina = Styrax calamita antiquissimis jam temporibus, ut Dioscorides et Plinius narrant, usque adhuc saepe corrupta erat. Quam Hippocrates usurpat in pesso ad menses educendas (587, 620), ad suffitum, ut os uteri clausum aperiatur (265, 575) et contra dolores uteri (673).

Λάδανον.

Cistus creticus L., fam. Cistinae, patr. Creta et Asia minor. Cujus rami et folia tempestate fervida succum resi-

nosum aethereum Ladanum dictum exsudant. Quod Hipp. c. unguento rosaceo et vino commixtum contra crinium defluvium commendat (666).

Κίσθος.

Multa adhuc genera sunt in Graecia, quorum duo Cistum villosum et Cistum salvifolium Dioscorides describit, ad quos et Hippocratis *κισθος* pertinere videtur, qui ejus decoctum c. Salvia ad ulcera purganda commendat (614).

Ἀσπάλαθος.

Quam interpretandi propter descriptionem inaccuratam apud Dioscoridem et Plinium difficillimum est. Equidem scimus fructicem esse spinosum, Castoris odore et in Syria praecipue crescere, qua re Dierbachus eam pro Elaeagno spinosa L. sumit. Quae interpretatio probabilis esset secundum Dioscoride descriptum rubrum Aspalathi colorem. Cum vero Galenus dicat, nigram radicem apud Hippocratem idem quod Aspalathum esse, haec pro Anthylli cretica L. accipi melius est. Hippocrates commendat Aspalathon contra menstrua nimia (684) et rad. nigram contra metrorrhagiam (667).

Τρίφυλλον.

Psoralea bituminosa L. a Dioscoride accurate descripta, ut ejus interpretatio difficilis non sit. Cujus Hipp. semen inprimis commendat ad usum internum: ad potiones refrigerantes (588), in febri intermittente (474), ut expectorans (495), ad uterum expurgandum (572), et lochias educendas (587, 624); externum in pesso ut emmenagogum (587, 624) et folia viridia ad medicamenta resolventia in tumoribus et ulceribus (874).

Αἴγειρος κρητική.

Populus graeca, fam. Salicineae. Cujus commendat Hipp. grana in vino ad usum internum et externum ut em-

menagogum (571, 625), resinam externe contra cicatricem oculi (626).

Χαμαιλέον.

Quod non cognominatum pro albo Dioscoridis = Atractylis L., fam. Compositae, sumere solemus, permultam habens resinam et antiquissimis temporibus pariter ac Lentiscus exhibita. Cujus radicem ut emmenagogum usurpat Hipp. (570).

V. AETHEREA OLEOSA.

Δάφνη.

Laurus nobilis L., fam. Laurineae, patr. Asia, qui antiquissimis temporibus Apollini sacer a milite, sacertode, poeta et medico multipliciter exhibebatur. Cujus commendat Hipp. folia et baccas ad usum internum in prolapsu uteri (267), ut emmenagogum (587, 623); externum: ad uteri fomenta: in hysteroloxia laterali (565), dysmenorrhoea (569), menstruis pituitosis (611), affectionibus hystericis (647), prolapsu uteri (267, 656); in pesso: ad menses educendas (621), ad conceptum et partum accelerandum (623); ad uteri injectiones: contra menstrua pituitosa (611), ulcera (575, 627, 628); ad suffitum: ut os uteri clausum aperiatur (265, 686); praeterea Cort. Lauri decoctum ad pudendorum lotiones in partu difficili (623); ad balnea lauri decoctum in physometra (665), ad unguenta in caput ulceratum (465), in tetano traumatico (561), aliisque morbis (670) et contra abortum Lauri fructum tritum et suis foemin. adipe c. melle delingenda.

Κιννάμωμον.

Laurus Cinnamomum L., fam. Laurineae, patr. Ceylon. Cujus cortex fortem habet odorem aromaticum, lignum

odore fere caret. Attamen nondum certum est, num antiquorum (Herodoti, Dioscoridis etc.) κιννάμωμον Laurus sit Cinnamomum. Quo Hipp. solum deorsum usus est: in pesso ut emolliens (265) et ad suffitum dolorum in partu causa (575, 609).

Κασία.

Laurus Cassia L., fam. Laurineae, patr. India. Κασιης duo commemorat Gal. genera, quorum usus esse possit Cinnamomi inopia: Unam ζιγιρ nominatam, alteram μετωδης, et plura describit genera Dioscorides, quae omnia Cinnamomo multo minus valere dicit. Hipp. eam usurpat ad potiones hystericas (572), ad uteri injectiones (674), ad suffitum (575, 609) et ut emolliens in pesso (265).

Μίνδη.

Mentha sativa (?). Plura in Graecia Menthae genera: ut cripsa, viridis, gentilis etc. crescuntur, et omnia idem valent. Hipp. in universo dicit: Mentha calefacit et urinam ciet, vomitionemque sistit; ac si quis eam saepe commedat, ejus genitale semen ita colliquefacit, ut effluat et arrigere prohibet corpusque imbecillum reddit (359). (Idem Aristoteles, qui militibus propterea in bello mentham edere non licitum narrat.) Deinde: alvum movet et purgat. Contraindicitur in epilepsia (302); et commendat eam ad usum internum: in lienis morbis ut medic. lienem extenuans (649), ad cyceonem in tabe aliquo (538), ad foetum expellendum: Menthae parvae fasciculum, rutae, coriandri et cedri aut cupressi semen ex vino; contra fluorem album (643), fluorem et ulcera in pudendis (644); externum: in angina c. Origano etc. ad gargarismata (569) et succum ad illiniendas oris partes affectas (471). Ad suffitum in uteri morbis (570).

Σισύμβριον.

Quam alii pro Mentha silvestri alii pro Mentha gentili L. sumunt et Hipp. ad uteri injectiones, ex vino coctam usurpat (574).

Γλήχων.

Γλήχων Graecorum est Romanorum Pulegium, dicit Plinius; unde Mentha Pulegium L. esse videtur, planta calefaciens aromatica, oleo aethereo dives, quae a veteribus ut antihystericum et emmenagogum saepe exhibebatur. Hipp. in universo dicit: „Pulegium calefacit et alvum movet" (359), et commendat eam ad usum internum: ut diureticum, bilem expurgans et refrigerans cum Apio (497), ut antihystericum (581), contra sterilitatem (589) et ut emmenagogum (622); externum: ut emolliens, aquam et sanguinem educens (574, 584, 606, 623, 672), antihystericum (564), ad cataplasmata refrigerantia (525) et ad uteri ulcerati injectiones (574, 628).

Θύμος.

Satureia capitata L., fam. Labiatae, quam Tournefortius praecipue in Creta, Antiparo ceterisque Graeciae insulis non raro vidit, cujusque herba apud veteres nomine Thymi cretici officinalis erat. Ab antiquis ut condimentum commune exhibitum; Hipp. in universo dicit, Thymum calidum alvum et urinam movere et pituitosa educere (359), et commendat eam ad potiones hystericas (572) et ut olus post purgativa ad corpus exsiccandum (526).

Θύμβρα.

Satureia Thymbra L. adhuc a Graecis *τρηβι* et *θυμβρι* nominata, quod narrat Honorius Belli e Vicenza, primus hujus plantae in Creta inventor. De qua Hippocrates in universo dicit: Thymbra calefacit, biliosa tamen subducit (359) et commendat eam in phthisi (476), in leucophlegmasia (486), ad potiones hystericas (572), et praecipue ad molam expellendam (665), et ad gargarismata in Angina (469).

Κέστρον.

Κέστρον Graecorum Betonicam esse Romanorum dicit Plinius, unde Betonica officinalis L., fam. Labiatae esse

videtur. Cujus radix vehemens est sternutamentum, quare nervinum id esse veteres falso putabant. Sed vis ejus emetica jam veteribus cognita, nuperrime constituta est. Betonicae ex aqua decoctum Hippocrates ad uteri solum exulcerati injectiones usurpatum reperimus (628).

Δίκταμνος.

Origanum Dictamnus L., fam. Labiatae, patr. Candia et Creta, quapropter et Origanum creticum vocatur, quo nomine apud veteres officinalis erat. Haec planta in Germaniam a Georgio Ollinger primo inducta erat. Ab antiquis magni existimata, de quo Plinius in libro de pluribus experimentis ad mulierum menses scribit: Menses aut partus emortuos vel transversos ejicit; bibitur ex aqua foliorum obolo, adeo ad haec efficax, ut ne in cubiculum quidem praegnantium inferatur. Quam ad uterum relationem et Hippocrates cognoverat, qui Dictamnum ut emmenagogum praecipue commendat, ad expellendas secundas (570, 608, 625 etc.), foetum (623), molam (619, 684), et ad potiones hystericas (572).

Ψευδοδίκταμνος.

Marubium Pseudodictamnus L. cujus Lukas Ghini primus erat inventor, ab Hippocrate ad potiones hystericas usurpatur (572).

Ὀρίγανον.

Quae planta propter inaccuratam antiquorum descriptionem, certissime interpretari non potest, sed proximum ei esse videtur Origanum creticum L., fam. Labiatae, jam a Mathiolo nomine Heracleotici effictum, quod odore aromatico et gustu aestuoso Majorannae simillimum, et contra eosdem morbos in Brytannia exhibitum; pars quoque erat Theriaci, Mithridati et Dioscordii. In universo dicit Hippocrat.: Origanum calefacit, biliosa tamen subducit (359), lippientibus autem et dentibus potu exhibitum nocet (1155, 1229). Cujus folia et fructus ad usum internum commendat: post operationem

haemorrhoidarum (406), ut expectorans (476), et omnino in pectoris morbis (531) inprimisque in phthisibus (536) etc., contra hepatis dolorem (547), abortum (686), leukophlegmasiam (486) et ad lochias educendas (587); externum: ad cataplasm. in tumoribus (874), contra ulcera narium (468), ad gargarism. et inhalationes in angina (469), in pesso contra amenorrhoeam (582) et sterilitatem (622, 683).

Num *οριγανον κεφαλοειδος* contra tabem (534) et hepatis quendam morbum, praecipue dolorem (547) usurpatum eadem seu alia sit herba, constituere non audeo.

Πολύκνημον.

Melissa cretica L., fam. Labiat., odore et forma Pulegio similis, quod jam Dioscorides narrat. Quam Hippocr. usurpat ad perlinienda pudenda iu ulceribus malignis et fomenta contra metrorrhagiam (686).

Ἕρπυλλος.

Thymus Serpyllum L. Cujus adhuc ad usum externum officinalis Spiritus Serpylli, quodque pars Spec. ad foment. Ph. Bor. est. Furfurum decoctum Hipp. usurpat ad uteri injectiones (585) et ad fomenta contra metrorrhagiam etc. (586, 668).

Καλαμίνθη.

Qualis haec planta apud Hipp. sit, certo destituere adhuc impossibile est. Cujus Dioscorides tria describit genera gustu acro aromatico: Melissa Calamintha L. Melissa Nepeta L. et Nepeta Cataria L. Hipp. in universo dicit: Calamintha calefacit et purgat (359) et usurpat eam externe contra diarrhoeam (637), metrorrhagiam (669) et ut emolliens (265).

Ὤκιμον.

Ocimum Basilicum, fam. Labiat., patr. Persia et India. Cujus omnes partes odorem habent gravissimum atque

aromaticum et salsum quendam gustum. Oleum aethereum inde paratum ut optimum commendavit Fr. Hoffmann. In universo dicit Hippocr.: Ocimum siccum est, calidum et alvum sistit (359); alio contra loco (529): Ocimum humidum et frigidum est, orique ventriculi gratum; et commendat herbam post purgationes (526) et succum ex vino albo ad vomitum tollendum (635).

Ἐπίπετρον.

Ocimum Monachorum L., fam. Labiat., a Plinio scimus *επιπετρον* et *ακινον* nominatum, quam plantam Dioscorides describens contra erysipelas commendat et Hippocrates ad cataplasm. in partibus circa ulcera positis, tumore et inflammatione laborantibus (874).

Πολιόν.

Teucrium Polium L., fam. Labiat., patr. Europa australis, odore aromatico et gustu amaro, cujus herba apud veteres nomine Polii lutei S. Polii mont. gallorum ut medicamentum extenuans et diaphoreticum officinalis erat. Hipp. commendat Polium ad cataplasmata in partibus circa ulcera positis tumore et inflammatione laborantibus (874) et in pesso contra sterilitatem (622).

Ἀμάρακος.

Teucrium Marum L., quod et *σαμψουχος* nominabatur, fam. Labiat., patr. Europa australis, Asia minor et Aegypt. Huic plantae facultates inter aromaticas hujus familiae maximas habenti veteres medici (Linneus etc.) relationem propriam ad cerebrum attribuerunt („natura nil simile procreavit,“ dixit Boerhavius); cujus folia nomine Herbae Mari veri s Cyriaci officinalis nuperrime contra polypos narium laudabatur. Hipp. Marum ad uteri injectiones (585) et ad unguenta (645) commendavit.

Σέσελι.

Cujus duo genera apud Hippocrat.; Seseli non cognominatum et Seseli Missilense commemorantur. Hoc est Se-

seli tortuosum, fam. Umbelliferae. Num vero illud (Seseli non cognominatum) eadem sit planta seu alia, dubium est, cum Dioscorides plura hujus genera sed tam inacurate describit, ut nil certi inde excipi possit. Sibthorpius Σεσελι non cognominatum idem esse quod illud apud Hipp. simul cum Σεσελι commemoratum καυκαλιν = Seseli cret. min. seu. Tordylium officinale dicit, nomine Pimpinellae in Italia ut olus exhibitum. Galenus radici et fructibus vim aestuosam et diureticam altribuit et commendat eos in epilepsia et orthopnaea (de simpl. medicam. temperamentis Lib. VIII. c. 18. XII. 120). In universo Hipp., Seseli, inquit, alvum movet et purgat (360); et commendat eam ad potiones hystericas (572), ad uterum purgandi potiones et menses educendas (587), quae in partu seu ex partu uteri tumores contingunt (603), ad secundas expellendas (626), ante operationem fistulae ani (884), contra haematemesin, atque omnino ut eccoproticum (387 etc.); deorsum: ad uteri exulcerati collutiones (574).

Ἄννησον.

Pimpenella Anisum L., fam. Umbellifer., patr. Africa septentrion., Asia minor, Italia. Cujus semen gustu aestuoso dulci et odore aromatico a medicis veteribus propter oleum suum aethereum ut carminativum et flatus excitans medicamentum magni existimabatur. Hippocrates ut medicamentum bilem expurgans cum Cumino, Apio et Melanthio saepe commendat ad usum internum, in ictero (491) contra dolorem lumborum ex partu (603), seu aliis ex causis (582), si in pudendis gravis odor et columella innata dolore adsit (581), ad educendas lochias (si in occulto delitescunt (601) et foetum (626), ad bilem omnino ex utero expurgandum (629); externum: in pesso: ad bilem expurgandum (629), in ulceribus (586), si pudenda in angustum coortata fuerint (657); ad collutiones uteri: contra dolorem in physometra (665), seu aliis uteri morbis (674), in ulceribus (574); ad suffitum uteri, ut osculum clausum aperiatur (265); ad balanos puerorum (634), et ad gargarism. in stomacace (636).

Μάραθρον.

Anethum Foeniculum L., fam. Umbellifer., patr. Europa australis. Cujus radix antea officinalis, oleo aethereo multo pauperius quam semen, nunc obsoleta est. Hipp. Foeniculo vim diureticam attribuit (360). Cujus rad. et semen et cort. commendat ad usum internum: in tabe aliquo (481), in ictero (551, 583), ad educendas lochias (574), secundas (582, 625), sem. et rad. ut medic. lactiferum (583), atque omnino ad potiones hystericas (572); externum: ad fomenta in hysteroloxia laterali (565, 653), in scirrho uteri cum dolore (673), hysteriasi (649), contra sterilitatem (596, 679), ad injectiones ut. (585).

Ἱπποσέλινον.

Smyrnium Olusatrum L., fam. Umbellifer. Cujus sem. et rad. antea officinalis, ab Hipp. ad potiones hystericas (572), lactantibus ad lac augendum (583, 608), parientibus in quibusdam casibus (607) exhibebantur.

Κρῆθμον.

Crithmum maritimum, fam. Umbellifer., fruticosa et foliosa herbula in maritimis et petrosis nascens, gustu salsa et amara, unde abstergit et siccat, urinas et menses ciens (Foes.) Hipp. Crithmo vim diureticam attribuit (360); cujus rad., sem. et cort. usurpat ad potiones hystericas (572), contra hydropem uteri (563), uteri dolores (573), ad educendas menses (591) et lochias (624).

Ἱππομάραθρον.

Hippomarathron fructus iis Cachryos similes habere, Dioscorid., Galen. et Plinius affirmant, unde a C. Baudino omni jure Cachrys sicula L., fam. Umbellifer. habetur. Cujus semen et rad. Hipp. commendat lactantibus, quia lac copiosum reddunt et augent (583, 608), contra sterilitatem (681) et ad potiones hystericas (572).

Κάχρυς.

Cachrys cretica L., fam. Umbellif., patr. Creta, Cypria etc. Cujus radix thuris odorem habet, unde Dioscoridem et Theophrastum hanc plantam nomine λιβανωτις (arboris thuriferae) descripsisse, veresimile est. Quam Hipp. ad usum internum: contra metrorrhagiam et dolorem (572); externum in angina (635) commendavit.

Σέλινον.

Apium Petroselinum L., fam. Umbellifer., patr. Europa austral. Quod ut nutrimentum graeci antiqui verebantur, quia in funebris Apium et in sepulcris exhibebatur, unde illud in morbis lethalibus exhibitum proverbium: „σελινον δειται.“ Apium adhuc contra hydropem ut medicamentum domesticum (diureticum) exhibetur. Hipp. in universo dicit: Apium urinam magis quam alvum movet, radices etiam magis quam ipsum (359, 360). Deinde: Apium et coctum et crudum urinam ciet, ac palustre (= ελειον veresimile Apium graveolens L., Sellerie) magis quam sativum, quod etiam facultatem habet majorem (529). Cujus commendat ad usum internum: herbam ex aqua, vino seu aceto ad potiones refrigerantes, diureticas et bilem purgantes, praecipue in phthisibus (496, 497, 481, 538), leucophlegmasia (544), contra dolorem in pudendis exulceratis (582), ad potiones hystericas (572); semen: in ictero (551), metrorrhagia (679), contra sterilitatem (678, 264); succum ad caput purgandum (488); rad. ad secundas expellendas (625); externum: herbam et sem. ad unguentum ad nares illiniendum contra capitis dolorem, si caput a bile excitatur (467), in pesso contra dolorem, si columella in pudendis suborta (675), aut si os uteri induratum (265), ad gargarism. in augina (469), ad cataplasm. in locis inflammatis (525), in metrorrhagia (667) aliisque ejusmodi morbis ut refrigerans (584); ad injectiones uteri exulcerat. (574, 628).

Κοϱίαννον.

Coriandrum sativum L., fam. Umbellifer., patr. Europa australis, cujus semen et herba gustu aestuoso et dulci, odore ingrato et obstupefaciente, quae, ut Dioscorides et Avicenna scribunt, vertigines, deliria et dementiam reddunt. Hipp. in universo dicit: Coriandrum calidum, alvum sistit, et ructum acidum sedat, somnum conciliat, si postremo loco edatur (359). Infra autem Coriandum tum coctum, tum crudum ori ventriculi gratum est, et alvum movet. Quod commendat ad usum internum in tabe aliquo (473, 538), ictero (497, 551), ad potiones dolorem lenientes (572), in metritide c. fluore (640), in hysteriasi (670); externum: ad unguenta in abdomine illinenda: in diarrhoea dolorosa (1053), ad cataplasm. refrigerantia in locis inflammatis (525) et in pesso ut medicam. conceptum juvans (1050) et foetum expellens (627).

Καυκαλίς.

Caucalis daucoides L., fam. Umbellifer. ab antiquis ut nutrimentum commune exhibitum. Quod Hipp. pariter ac Seseli alvum movere et purgare dicit (360).

Δαῦκος.

Athamenta cretensis L., fam. Umbellifer. gustu aromatico acro. Cujus semen nomine Sem. Dauci cretici antea officinale erat. Sed loco quodam (603) Daucum aethiopicum Hipp. commemorat, quae alia planta esse videtur. Dioscorides plura Dauci genera describit, ut et Theophrastus *Δαυκον* quandam *δαφνοιδῆν*; Erotianus scribit: *δαυκον* existimare quoddam esse laurum, falsum est, cum sit herbae species. Hippocr. Daucum usurpat ut corrigens bene olens Hellebori nigri (387), in febre c. singultu (401), in rheumatismo (403), in adhaesione pleurae et phulmonis (480), ut expectorans in pneumonia (493) et rad. et sem. ad potiones hystericas (572).

Κύμινον αἰθιόπικον.

Cuminum Cyminum L., fam. Umbellif., patr. Aegypt. Antiquissimis jam temporibus cognotum et ut med. ita existimatum, ut ab Hipp. teste Dioscoridis „regium" cognominaretur. Cujus semen et folia commendat ad usum internum praecipue ut antihystericum (264, 572, 573, 582, 620), ut emmenagogum, ad partum accelerandum (603), ad secundam expellendam (625), ut eccoproticum (387, 526), ut refrigerans in febr. ardentibus (497), in febre c. singultu (401), in diarrhoea dolorosa (1053), ictero (551), pectoris morbis (494), dolore pectoris (1208), phthisi pulmon. (407), asthmate (1211) etc.; externum: in pesso: contra omnes fere uteri morbos: ut emolliens (573), emmenagogum (672), conceptum juvans (681, 1056), purgans (630), hydragogum (664), dolorem leniens (673, 674 etc.); ad suffitum, si parere nequeat (603); ad uteri collutiones: contra sterilitatem (679) et physometeram (665); ad clysmata: in lumborum dolore (560); ad unguenta, si cum cutis glabriete capilli decidant (667).

Ἄνηθον.

Anethum graveolens L., fam. Umbellifer., patr. Europa austral., Foeniculo forma et facultate simillimum. Quod Dioscorides ut medic. diureticum, lac provocans et vomitum et alvi profluvium sedans laudat, Hipp. vero, calidum et alvum sistere, odoratumque sternutamentum sedare, dicit (359) et ad usum internum commendat: post purgationes corpus humectandi causa (526), in phthisibus ad κυκεον (538), contra sterilitatem (584); externum: in pesso ut purgans (265) et ad unguentum, quo in pudendis exulceratis illiniatur (633).

Σταφύλινος.

Herba adhuc falso pro Pastinaceae gen. quodam sumta, quod eam Pastinacam erraticam vocat Plinius (Lib. XX. c. 5.), nunc plerisque pro Dauco Carota L. accipitur. Cujus succus nomine Roob Dauci magni existimatus contra exanthe-

mata, helminthiasin, hysteriasin etc. a veteribus saepe exhibebatur. Hipp. Staphil. ex vino potionem contra sterilitatem commendat (686).

Πευκέδανος.

Peucedanum officinale, fam. Umbellifer., patr. tot. Europ. Cujus rad. nomine Peucedani officinalis a medicis veteribus ut eccoproticum, diureticum, excitans contra atoniam intestinorum, tussim, asthma etc. exhibitum, nuperrime contra exanthemata commendatur, quae planta omnino propter facultates suas magis observanda meretur. Peucedanum Hipp. usurpat ut molle eccoproticum, dolorem sedans in hysteriasi (570, 670, 673), ut emmenagogum (571), ad potiones hystericas (572), radicem ad suffitum, ut os uteri clausum dehiscat (265).

Σίον.

Sium nodiflorum L., fam. Umbellifer., patr. tota Europa ad littora nascens. Quod Hipp. cum vino et lacte ad inhalationes pus expurgandi causa commendat (476).

Θαψία.

Thapsia garganica L., fam. Umbellifer., patr. Africa septentrion. et Europa austral. Cujus praecipue radici principium quoddam acre inest, unde ad Acria ad numerari possit. Succus ut emeticum ab antiquis usurpabatur. Hipp. commendat succum in capitis dolore ex crapula orto et emeticum (490), radic. in capitis dolore ex renali morbo ut eccoproticum (541), succ. ut expectorans in pneumonia, contra tussim infantuli (634); externe ad clysmata in pleuritide morbi initio, in diarrhoea (555) atque omnino ad educendam pituitam (636); ad uteri injectiones: contra ulcera (575, (628) et fluorem album (642); in pesso ut emolliens (265).

Πέπερι.

Peperi apud Hipp. non cognominatum neque Piper longum, neque nigrum L., usque adhuc pro illis falso sump-

tum, esse potest, quibus cum Dioscoridis descriptio non conveniat, propterea quod inprimis arboris cujusdam fructus esse dicitur; itaque pro Unona aethiopica Dunal magis sumi potest. In libris vero de morbis mul. apud Hippocr. πέπερι quoddam rotundum et album discernitur, quod Persis piper vocari dicitur. De quo Galenus: „Qui scripserunt nomina medicamentorum indicum nominant Zingiberi decepti ex eo, quod quidam putant ipsum piperis radicem esse, sed Dioscorides Anazarbeus aperte distinxit et definivit de Zingiberi et Pipere. Dioscorides igitur junior, qui linguas scripsit, stirpem esse ait in India similem stirpi peperis, cujus fructus appellatur Myrtidanum quia myrto similis est.“ Unde quoque πεπερι apud Hipp. non cognominatum Piper indicum non esse patet. Hipp. id commendat ad usum internum: contra dolorem in pleuritide morbi initio (402), ut expectorans (495), ad partum accelerandum (603), in tetano (491), hysteriasi (670); externum: in pesso ad uterum expurgandum etc. (573, 605, 630, 660, 672 etc.), ad gargarismata: in malis ex vehementi dentis dolore in tumorem sublatis (1157) et contra dolores dentis ipsos (stranguriam quoque remisit) (1227, 1291).

Καρδάμωμος.

Amomum cardamum L., fam. Scitamineae, patr. Sumatra et Java, cujus semen praecipue oleo-aethereo opulentum Hipp. usurpat contra asthma (603), ad potiones hystericas (572), ad uteri fomenta (265), 651) et ad frictiones in abdomine ad menses educendas (632).

Ἶρις.

Iris florentina L., fam. Irideae, patr. Italia. Cujus rad. mordax viridis medicamentum est drasticum, siccata magnam acerbitatis partem amittit, amarum vero retinet gustum. Quam Hipp. usurpat ad uteri fomenta (576) et in pesso: ut os uteri clausum dehiscat (685). Unguentum deinde ex Iride praeparatum, propter dolores leniendi facultatem antiquis magni

existimatum, Hipp. saepe in pesso commendat in physometra (665) aliisque uteri morbis (620, 685 etc.).

Κύπειρος.

Cyperus rotundus L., fam. Cyperaceae, patr. India. Cujus Hipp. usurpat gramen cum Salvio, Aniso etc. ad potionem in prolapsu uteri (657), radicem, semen et gramen in pesso: ut emolliens, sanguinem et aquam purgans (574, 619, 620); ad uteri injectiones contra ulcera (574, 585) et metrorrhagiam (669); ad suffitum (673, 575) et oleum inde paratum (603) etc.

Σχοῖνος εὔοσμος.

Andropogon Schoenanthus L., fam. Gramineae Juss., patr. Africa, Arabia et India antea nomine herba Schoenanthi officinalis. Quem usurpat Hippocr. ad potiones (667) et in pesso (669) contra metrorrhagiam; ad fomenta c. aliis aromaticis (651); ad uteri injectiones (574, 627, 628); ad suffitum (673) et oleum inde paratum contra molimina uteri spasmotica, ad injectiones, fomenta etc. (665).

Ἄμωμον.

Diversae plantae pro Amomo antiquorum sumuntur: Myrtus Pimenta, Sison Amomum, Anastatica hierochontina L., et Cissus vitigenea L. Quarum quae sit Hipp. Ἄμωμον, decernere non audeo. Amomon ab eo pariter ac alia aromatica ad potiones hystericas usurpabatur (572).

Νάρδος.

Quo nomine diversas antiqui plantas commemorant, quarum pleraeque Valerianae sunt, et Valeriana indica Hipp. Nardo proxima esse videtur, qui eam exhibet ad potiones secundas et lochias educendas (608) et ad uteri suffitus (575).

Μελίλωτος.

Cujus apud antiquos descriptio tam inaccurata, ut plantam hanc interpretandi difficillimum est. Unde non mirabile,

tantas hujus plantas interpretationes esse, quarum veresimillimam Conradi Gesner: Melitotus officinalis L., fam. Leguminos. commemoram. Cujus flores Hipp. exhibuit externe contra ulcera maligna (880) praecipueque uteri ulcera (674).

Ἄγνος.

Vitex agnus castus L., fam. Verbenaceae, cujus fructus nomine semen Agni casti officinalis erat. Est autem vitex herba, quam tum floribus albis, αγνος λευκη, tum purpureis = λυγυς ab Hipp. nominatam, castitatem inviolatam servare et Veneri adversari (unde αγνος nom.) dicitur. Quare virgines Athenis, Cereris festis ad sacertodes consecrandae, ad castitatem servandam lectum ex foliis viticis strasse, Plinius narrat. Et Hipp. Agno relationem propriam ad uterum attribuere videtur, quia solum in mul. morbis usurpatam invenimus: contra hysteriasin (573, 670), metrorrhagiam (572, 667), ad excludendum foetum (623, 625), secundas (581, 626) ad lac augendum (608).

Βάκκαρις.

Gnaphalium sanguineum L., fam. Composit. Cujus in Libano a L. Rauwolf primo inventae plantae radix oleo aethereo opulenta ad unguentum quoddam (Lydium nominatum) praeparandum exhibebatur, ut Gal. in Exegesi scribit. Dioscorides herbam dicit odoratam et coronariam esse, cujus radix odore cinnamomum refert, in eumque usum olim unguentis experita fuit. Plinius: baccharis quoque radicis tantum odoratum est, a quibusdam Nardum rusticum appellatum. Cujus unguento Hipp. usus est in pesso: ad uteros procumbentes et adhaerescentes (565), ad omnem puerperam (569), in hysteriasi (645, 666) etc.

b) AETHEREUM OLEOSUM ANIMALE.

Καστόριος ὄρχις.

Castor Fiber L., fam. Castorina, patr. Asia septentrionalis. Cujus testem (ὄρχις) castorum esse, veteres pu-

tabant, usque Rondeletius saeculo decimo sexto publice argumentatus est, locum castorii sub ventro inter anum et utrasque partes genitales in duobus singulis bursis esse. Castorium ut medicamentum antiquissimis jam temporibus maxime erat existimatum. Variorum generorum Strabo Castorium ponticum optimum, hispanicum pessimum sumit. Hipp. Castorium commendat ad usum internum: ut medicamentum, quod ad uterum facit, in omnibus fere uteri morbis (573, 604) praecipueque ad educendas lochias (608), foetum (626), molam (684), ad partum omnino accelerandum (915), contra oris uteri scirrhum (660), metrorrhagiam (667), hysteriasin (564, 646, 669, 670, 1227 etc.), haematemasin cum dolore (1235) etc.; externum: naribus ad suffitum in hysteriasi (569, 670), ad uteri suffitum ut osculum clausum dehiscat (265), in pesso: ut emmenagogum (587) et conceptum juvans (682), ad gargarism. contra dentis dolorem (1157, 1227), ubi adnotatur: „Castorium et stranguriam remittit."

VI. PINGUIA.

a) PINGUIA VEGETABILIA.

Ἔλαια.

Olea europaea L., fam. Oleinae, patr. Oriens, ab Hercule, ut narrat Pausanias, in Graeciam inducta. Cujus *a)* Oleum inter omnia olea vegetabilia, quae antiqui e seminibus et fructibus variarum plantarum expressa exhibuerunt, Hipp. frequentissime commendat ad usum internum: ut molle eccoproticum in cholera sicca (405 etc.), ad partum accelerandum (603); externum: praecipue oleum calidum doloris causa ad frictiones in pleuritide (416), et pneumonia (535, 416), tetano (491), volvulo, typho (553), obstructionibus (403), arthritide (554); ad insessum in lumborum dolore ex partu

difficili (603), physometra (665); ita etiam doloris causa ad uteri fomenta (663); ad cataplasmata in angina (470); ad injectiones uteri: ore putrescendo (488), in hysteriasi (647); ad aurium instillationes in surditate (1157); *b*) Olivas albas, priusquam oleum demittunt, siccatas ad potiones contra dysmenorrhoeam (571), dolores uteri animique deliquia (673) etc.; *c*) folia ad fomenta (576, 585), in pesso: ad pudenda ulcerata (582), ad suffitum doloris causa in hysteroloxia lat. etc. (535, 580, 641), ad injectiones uteri contra metrorrhagiam (cum aceto) (639).

Λιναν.

L i n u m u s i t a t i s s i m u m L. Cujus semen praecipue oleo opulentum ut nutrimentum et medicamen magni ab antiquis existimabatur, quo placentam quandam, nomine Chrysocole fecerunt. Galenus semen vi diuretica gaudere, sed digestionis organa facile offendere dicit. Hipp. Lini semen in cibo sumptum alvum sistere et aliquantulum refrigerare (356), quod commendat in usum i n t e r n u m: contra tormina et diarrhoeam sine febre (405), dolorem in ventro post viri congressum (687), dysmenorrhoeam (566), metrorrhagiam (667), fluorem album et ulcus in pudendis (644), hysteroloxiam lateralem (577), hysteriasin? (647), physometram (665) catarrhum infantum (603) etc.; e x t e r n u m: ad injectiones uteri contra ulcera (374), dolorem (674), physometram (665 etc.); in pesso: ut purgans (572), et linum scissum cum ipso culmo ad pugillum unum tenuiter tusum cum vino albo in pesso omnem uteri morbum curare dicitur; ad cataplasma ut emolliens in praecordiis distensis (399, 402), indurationibus et inflammationibus (265, 874) duris colli tumoribus (1157, 1228) et uteri (659).

Ὅρμινον.

Quae quidem planta ex descriptione Dioscoridis S a l v i a H o r m i n u m L., Salviae officinali L. facultate similis intelligitur. Hipp. contra inter Leguminosas eam numerat et se-

men eadem quae Lini semen efficere dicit (356). Idem Theophrastus et Plinius, qui Horminon inter Cereales fruges adnumerant, quare Hippocratis Horminon planta aliquis pinguis et emolliens neque ex Salviae genere esse videtur, difficillima autem interpretandi est.

Ἀμυγδάλη.

Amygdalus communis L., fam. Amygdal., patr. Mauritania, quam in Creta quoque nascentem Tournefortius vidit. Jamiam Hippocr. cognoverat amygdalas et dulces et amaras. In universo: „Amygdalae, ait, aestuosae sunt et nutriunt his de causis: aestuosae quidem quia pingues, nutriunt autem, quia carnosae (360).“ Et commendat *a*) Amygdalas dulces ad usum internum: in putrescendis organis internis (407) in pectoris morbis (484), in fluore albo (641); externum: si puerperae pudenda ulceribus superficariis laborent (603, 639).

b) Amygdalas amaras ad usum internum: in hysteriasi cum Sandaraco et Sulphure (669) externum: contra lenticulas.

Μετωπον seu *Νιτωπον* = oleum ex amaris solum amygdalis praeparatum saepissime in uter. morborum tractatione expurgandi causa: in pesso et ad uteri injectiones praecipue post purgativa vehementia, praeterea ad aurium injectiones contra dolorem (413) et surditatem (1157) usurpatur. Sumitur autem et *Μετωπων* quibusdam pro unguenti genere et idem esse dicunt quod Hipp. unguentum Aegyptium vocat.

Σήσαμον.

Sesamum orientale L., fam. Sesameae, patr. India. Cujus ex seminibus oleum album et pingue apud veteres pariter ac oleum amygdalarum adhibebatur. Duo jam Sesami genera antiqui cognoverant: nigrum = indicum et album = orientale sed album solum ad medicamenta exhibitum fuisse scimus, quod antiquissimis jam temporibus pariter ac nunc ut nutrimentum commune existimabatur. Hippocrates commendat

Sesamum: ad opsonia hominibus crassis, quique tenues fieri cupiunt (338), in phthisibus (407, 479, 532) praecipueque in pectoris morbis (488), ut contra catarrhum et adultorum, si difficile expectorant (1228) et infantulorum (603); ad lac augendum (608) etc.

Κάρυα.

Duo apud Hippocratem nucum genera invenimus: rotunda = Juglans regia L. et lata (seu *πόντικα* s. *θάσια*) Corylus Avellana L. Utrique oleum inest pingue amygdalarum oleo simile. Hippocr. nuces ait rotundae amygdalis (quas aesthuosas esse et nutrire dicit) similiter sese habent. Latae vero maturae nutriunt et alvum dejiciunt. Purgatae autem etiam flatus pariunt, earum vero tunicae alvum sistunt (356). Et adhibet nuces ponticas ad potiones in ictero (490) et in pesso: cum Croco, Myrrha etc. contra omnes fere uteri morbos praecipueque dolorem (674).

Τρίβολος.

Trapa natans L. quam Hipp. *παραθαλασσον* vocat, cujusque rad. et folia ad educendas menses (570) et placentas (624) usurpavit.

b) PINGUIA ANIMALIA.

Quae antiqui saepissime ad usum internum et externum praecipueque ut emollientia ad constit. unguenta, emplastra etc. exhibuerunt. Multorum quidem animalium adipe, sebo, medulla etc. usi erant ut suillae, anseris, cervi, bovis, caprae, ovis etc., quorum omnium vero memorationem specialem supervacaneam habeo; quare hic solum commemoram Ceram.

Κηρός.

Cerae Apis mellificae L., fam. Hymenopt. antiqui jam flavam et albam discernebant. Quomodo autem albescatur, diligenter docet Dioscorides, qui ponticam ceram

optimam accipit. Hipp. ceram usurpat ad uteri suffitum (265), in pesso (581, 609), et praecipue ad unguenta:

a) κηρώτης = ceratum, quod etiam quidquid unguentum molle consistentia inter emplastrum et unguentum significat (331, 587, 620 etc.). Hipp. Ceratum commendat saepissime in libro de fracturis contra ulcera, vulnera etc., praeterea contra rheumatismum (403) in partu difficili ad illinienda pudenda, si plus quam conveniat, sicca esse videantur (260), idque in omnibus ejusmodi circa uterum affectionibus optimum dicitur (617).

b) Κήρωμα = unguentum cereum ex cera, oleo subacta, sed alia quoque ingredientia admixta fuerant ut terebinthina, pix, cuprum = Ceratum nostrum Aeruginis. Grimmius vero κήρωμα idem quod Pannum nostrum ceratum esse dicit, ex iisdem quoque substantiis: oleo, cera et terebinthina factum. Quod Hipp. commendat in angina capite abraso tum collo tum capiti apponendum (397), in febre et diarhoea pedes illiniendum (398), in pleuritide ad laterum dolores pectori apponendum (402) etc.

c) Κηρόπιστος seu πισσηρά κηρωτή = ceratum ex cera et pice in aqua rosarum et oleo liquefactis. Quo Hippocr. splenium illini jubet aperta frontis cute (467) idque in vulneribus applicandum persaepe in libro de fracturis.

VII. MUCILAGINOSA.

a) BALSAMICA.

Ἄκανθα.

A c a c i a S e n e g a l Willd., fam. Leguminosae, patria; Africa. Cujus nomen derivatur ab urbe Aegyptiae Acantho, ubi lucus Acaciarum Osiridi, ut etiam alius ad Abydum urbem Apollini sacer erat. Acaciae succus indensatus = Gum-

mi Senegal, Gummi arabicum etc. adhuc officinalis est. Fructus vero expressi succum emittunt acerbum et adstringentem, quod Aegyptii adhuc contra profluvia exhibent. Hippocrates usurpavit foliorum infusum ad potiones contra dysmenorrhoeam (632), et fructus cum papavere somnifero ad potiones contra diarrhoeam (568), ad injectiones uteri exulcerati (614), et ad suffitus (575).

Κύτισος.

Medicago arborea L., fam. Leguminos., patria: Europa austral. Cujus nomen ab Insula *κυτνος* derivatur. In Graecia ut pabulum pecuarium exhibetur. Aristoteles primus eam praecipue ad lac augendum commendavit, simulque ne dum floret exhiberetur, praemonuit. — Hippocrates succum ut diureticum sumat (360) et folia cum porro et brassica cocta ad lac augendam lactantibus commendat (583).

Ἐπικέρας.

Trigonella foenum graecum L., fam. Leguminos., patria: Europa australis. Quod jam. Gal. apud Hippocratem foenum graecum transvertit additque alios aliam herbam eodem nomine sumsisse. Hippocrates semen ejus ad usum internum: contra lienis morbos ut lien extenuans; externum: ad uteri fomenta (617) et ad cataplasmata emollientia in tumoribus (1157) commendat.

Πελεκῖνος.

Coronilla securidaca L., a Dioscoride nomine *ηδυσαρον* descripta. Hippocrates eam in tritico nascentem cognominat et contra sterilitatem cum Myrrha usurpat (665).

Μαλάχη.

Cujus duobus generibus: Malva rotundifolia L., et sylvestri L. ut nutrimentis et medicamentis antiqui usi erant. Hippocrates Malvam commendat ad usum internum: post purgativa vehementia (404), radicem ad potiones hystericas,

ad expurgandum et dolorem leniendum (572), contra hysteriasin (670); externum: in pesso: Malvae succum ut emmenagogum (587), foetum expellens (603), contra sterilitatem (622), et folia ad cataplasm. in tumoribus inflammatis (874).

Φλόμος.

Verbascum Thapsus L., fam. Scrophular. Quod tamen pro certo haberi non potest, quia plura jam Verbasci genera a Dioscoride descripta sunt et in Graecia nascuntur. Hippocrates Verbasci usurpavit folia ad suffitum contra metrorrhagiam (686), ad cataplasmat. in tumoribus inflammatis (874).

Ἄγχουσα.

Anchusa tinctoria L., fam. Borragineae, patr. Europa australis et insulae Archipelagi. Cujus radix (nomine rad. Alkanae nunc officinalis) ad tingendum adhibebatur. Hippocrates parvam et magnam Anchusam commemorat. Cujus folia ex aqua seu vino ad potiones exhibuit emmenagogas (570), in pesso magnam et parvam Anchusam aliis cum medicamentis (Lentisco, Cumino, Cypero, Elaterio, Nitro etc.), quae uterus si quando conniveat neque concipere queat, valde dilatare possunt et aquas expurgare (662), radicem ad unguenta in ulceribus malignis (879).

Ἰξός.

Viscum album L., fam. Lorontheae. Cujus caulis nomine Viscum quercinum seu Lignum St. Crucis officinalis et folia viridia odore adverso et gustu amaro adstringenti, oleo et mucilagine opulenta. Quae Hipp. commendat ad potiones lienem extenuantes in morbis lienis (549), et emmenagogas (621).

b) MUCILAG. GELATINOSA.

Ὠά.

Hipp. Volucrum ait ova validum quid et nutriens et inflans habent. Validum quidem quoniam animalis generatione

continent. Nutriens vero, quod hoc in pullo lactis rationem habeat. Inflans autem, quia ex parva mola in multa diffundantur (358). Quae ad usum internum commendat semicocta contra alvi profluvia cum torminis (405), ovi candidum ut refrigerans et eccoproticum febricantibus (497) et ovi assati exemptum vitellum cum Sesamo albo tosto, sale et melle contra tussim infantuli (634); externum: in pesso: ovi candidum cum adipe caprinum et melle et oleo rosaceo contra sterilitatem si os uteri clausum (660), ut emolliens (672), ad cataplasm. ova in vino nigro cocta in fistula ani inflammati (887), et ovorum candidum contra ephelidas (667).

Κέρας.

Cornu cervi ustum pulverisatum ab Hipp. ad usum internum contra metrorrhagiam (667) et fluorem album (669) commendatur; externum: naribus ad suffitus in hysteria (646) ad uteri suffitus: hysteriasi (582, 585, 670 etc.) et contra metrorrhagiam (668); ad collutiones uteri, contra sterilitatem si osculum praepingue et crassum (597).

c) MUCILAG. FARINOSA.

Κριθή.

Hordeum, fam. Gramin. antiquissimis jam temporibus excultum, quare Plinius id antiquissimum vocat. Cujus Hipp. tria commemorat genera: Hordeum vulgare L., Hord. distichum L. et Hord. hexastichon L. In universo: Hordeum, ait, natura quidem frigidum et siccum. Inest et quiddam, quod purget, ex pallarum succo. Cujus rei hoc est indicium, quod si hordeum cortice detracto minime purgatum coquere velis, vehementer purgat is succus. Quod si corticem detraxeris, refrigerabit magis alvumque sistit. Ubi vero tostum fuerit, humor qui purgat igne decedit, frigiditas autem et siccitas remanet. Quod si refrigeratione et siccitate opus sit: id ipsum in pollinem redactum efficiet (355). Deinde: Hordeum alvum potius quam urinam movet (360).

Id ipsum in aqua coctum ad potiones commendat partum purgantes (572), ad cataplasmata in pleuritide (387) etc. Saepius utebatur:

a) Farina hordei tosti = ὠμήλισις et non tosti = ἄλφιτα seu μάζα ἄτριπτος = Polenta Romanorum, quae nullo humore subacta erat: ad potiones in angina (470 etc.), ad cataplasmata emollientia, refrigerantia et dolorem sedantia (387, 525, 907, 1227), ad uteri suffitus (575, 580, 585, 655, 668).

b) *Μάζα τριπτη* = farina hordei tosti et humore aliquo subacta: sive oxymelite, sive posca sive mulsa aut aqua; plebejus ac vulgaris cibus erat, quae cruda cum defruto aut melle libenter non mandebatur, aromaticis vero condita magni existimabatur. De maza ex aqua facta Hipp. idem quod de hordeo dicit (355), mazam oleo et melle factam commendat febricantibus variis in morbis cibo sumendam et in pesso etc.

c) Ptisana = decoctum hordei magni erat apud antiquos momenti. Cujus Hipp. discernebat ptisanam totam seu crassam, id est non colatam et ptisanae cremorem, quod libro de ratione victus in morbis acutis (385 etc.) diligenter explicat, ubi totius ptisanae potionem omnibus aliis in morbis acutis praefert, docetque deinde (387, 1050 etc.) quando haec quando illa sumatur.

d) *Κυκειον* denique mixtura ex variis composita, quae alimenti et potus rationem habebat. Interdum enim ex vino et melle, interdum etiam ex vino et caseo admixta polenta. Videtur autem hujus cyceonis duplex fuisse apud antiquos species. Vilissimus quidam ex aqua sola et farina confectus, alter delicatius ex farina cum quovis alio liquore, ut vino s. melle agitata et cocta, addito etiam interdum caseo. Utriusque meminisse videtur Hipp. his verbis: „Cyceon solus aqua temperatus refrigerat et nutrit, cum vino autem calefacit et sistit. Cum melle minus quidem calefacit et nutrit, magis vero alvum subducit, si mel sincerum non fuerit, alioqui alvum non ciet sed sistit. Cum lacte autem omnes bene quidem nutriunt" (355) Cyceon usurpavit, in febre quartana ex

aqua (474) in metrorrhagia (596), hysteriasi (647) etc. mulier. morbis (390, 478, 639, 578 etc.). Apud Hesychium cyceon etiam ex variis herbarum succis aut medicamentis concinnata sorbitio esse dicitur velut usurpatur Hippocrati in metrorrhagia et quovis uteri morbo (667) et in dolorum allevandorum remediis (1190).

Πυρός.

Cujus et plura commemorat Hipp. genera: Triticum non cognominatum, trimestre et sitanium, quae omnia Triticum vulgare L. significare dicuntur, sed plura Tritici genera illo jam tempore cognata fuisse, locus ille apud Hipp. in libro de victus ratione p. 366 argumentatur. In universo Triticum, inquit, hordeo quidem est valentius et magis nutrit, minus autem alvum subducit, tum ipsum tum succus (356). Cujus commendat:

a) farinam crassiorem = *ακριμνον*, puriorem et omnium validissimum = *σημιλαδιν* (similaginem) ad potiones persaepe in febribus praecipue acutis, et ut emplastrum, quod glutinat vulnera (802), aures fractas (388) etc.

b) *Πίτυρα* = furfures, quod excussa tenui farina in tritico molito relinquitur; Hipp. exhibet furfurum decoctum ad clysmata alvum detergendi et eluendi causa (1227);

c) *πλύμα*, loturam significat et aquam in qua aliquid (praecipue Triticum) elutum sit, ad sorbitiones Hippocrat. commendat. in suppurationibus internis (407) et in febre ardente (1229),

d) *πύρινα ἄλφιτα* = polentam insulsam, quam Hipp. propinat contra diarrhoeam dolorosam (405 etc.);

e) *ῥόφημα* = ptisanam in morbis acutis, ut in pneumonia, si febris decesserit (416).

Σειά, τρύγις.

Triticum Spelta L., fam. Gramin. Galenus *ὄλυραν* idem quod *ζειὰν* esse dicit. Hipp. Spelta, ait, Tritico levior et quae ex ea conficiuntur, his similiter, quae ex Tri-

tico parantur, magis tamen per alvum secedunt (356). Quam commendat ad sorbitiones febricantibus (638), ad cataplasmata: zeam cum oleae foliis in metrorrhagia (639), et in eodem morbo suffitum cum pauco aceto etc. (640), cum Myrrha etc. in amenorrhoea (266).

Hic quoque commemoratur χόνδρος = alica Latinorum, quam Plinius ex Zea fieri scribit et granum vocat, propterea quod in grumos ac grana cogatur, dum ex cujuslibet frumenti specie sed praecipue ex Tritico Spelta paratur. Cujus cum jusculis decoctum celeberrimum omnibus in morbis apud antiquos alimentum. Ac videtur alica et ptisana generalia fuisse apud antiquos omnium frugum siccatarum, decorticarum et in grumos tusarum nomina. Hipp, alicam, quam alimentum vocat, quod maxime nutrit, contra diarrhoeam cum torminis etc. (405); et refectionis causa post graves morbos alicam triticam (527) commendat.

Βρωμός.

Avena sativa L., fam. Gramin., quae in cibo et sorbitione sumpta humectare et refrigerare ab Hipp. dicitur (356), praeterea autem non commemoratur. Eo magis a Dioscoride et Plinio contra diarrhoeam, catarrhum pulm. etc. commendatur.

Λαγώπυρος.

Lagurus ovatus L.; quam herbam quidam Lagopum esse volunt, sistentem alvum e vino sumtum (Plinius), quam Hipp. autem pariter ac nos charpiam adhibemus, ad ulcera usurpat. „Cava, ait, et plura maxime implet herba, Lagopyrus nomine, furfures ubi inaruit referens, parvo instar Oleae folio, sed longiore.

Ἔλυμος.

Panicum italicum L., fam. Gramin., quod Hipp. ad sorbitiones febricantibus commendat (638).

Κέγχρος.

Quam plantam adhuc pro Panico miliaceo L. sumptam Dierbachus ad Graeci cujusdam testimonium se revocans Sorghum esse vulgare Persoon dicit. Hippocr. in universo: Sorghi, ait, grana et farina siccant et alvum sistunt et cum ficubus vehementibus doloribus succurrunt. Sorghum autem coctum nutrit, minime tamen per alvum secedit (356). In cibis deinde frigidis numeratur (1185), quare praecipue in febr. ardentibus tum ut cibus tum ut potio (474, 519, 526) in tabe aliquo (485), capitis morbo quodam cum stranguria (465) usurpabatur. Praeterea Sorghi decoctum in pleuritide (474), contra tormina sine febre (405) ad potiones hystericas (572); grana et farina contra diarrhoeam (356), Sorghum torsum ad cataplasmata et fomenta sicca in pleuritide (387) etc.

Κυάμος αἰγύπτιος.

Nymphaea Nelumbo L., patr. Africa et Asia. Quae propter pulchritudinem ab omnium temporum populis admirata et consecrata, mythologia etiam insignis est. Diis modo ut thronum (ap. Chines.) modo ut navicula (ap. Indianos) exhibita, in monumentis, imaginibus et numis veterum praecipue Aegypt. et Chines. effingebatur. Cujus semen ut nutrimentum adhuc apud Chines. existimatur. Fabas vero alimentum quoddam alvum sistens et flatuosum vocat Hipp. (356), qui eas contra dysenteriam (407), alvi perturbationem, nisi partes corporis superiores admodum biliosae fuerint (1053), tormina (405), asthma (1211), anginam cum dispnoea (1212) etc. commendat.

Θέρμος.

Lupinus albus L., fam. Leguminos., nunc Graecis *λυπουνι* nominatur. Cujus fabas amaritatem macerando amittere, Diphilus ab Samo narrat, et Hipp. dicit: Lupini natura validi et calidi praeparatione tamen leviores et frigidiores evadunt et per alvum secedunt (356) et inter Leguminosas minime adversa (404). Quorum farinam commendat ad catapl. emollientia (666).

Δόλιχος.

Phaseolus vulgaris L., fam. Leguminos., patria: India. Hipp. in universo dicit: Ochri et Phaseoli magis quam Pisa alvum dijiciunt, minus inflant et probe nutriunt (356).

Ὠχρός.

Pisum Ochrus L., variis nominibus descripta planta, ita a Caesalpino: Isopyron, Dodonaeo: Ervilia sylvestris, Camerario: Aracus, Persoono: Ochrus pallida vocatur. Hipp. dicit, Ochrum idem valere quod Phaseolum (356). Difficillimum autem concoquendi esse, inter omnes nunc constat.

Πίσος.

Pisum sativum L., Hipp. Pisa ait minus quidem quam fabae aegyptiae (Nympheae Nelumbo) inflant, magis alvum dejiciunt (356).

Num vero λακιθος pluries apud Hipp. commemorat. (610, 637, 667 etc.) Pisum significet, affirmari non potest; Galenus ex lenti ait farinam esse pulmentarem, lentium lomentum = lens, cui cortex detractus est et putamen, quod tunc sit coloris lutei. Sprengelius λακιθον = pisam luteam habet.

Ὄροβοι.

Ervum Ervilia L., fam. Leguminos., nunc nomine ροβι in Graecia nascitur et excolitur. Cujus usus novissime praemonetur; antiqui autem macerando vim damnosam mitigabant, atque omnino Ervum magis ut pabulum pecuarium exhibuisse videntur, ut Plinius narrat. Hipp. contra: Ervum ait alvum sistit et validum est, incrassat, explet et bonum colorem homini conciliat (356). Acni acolae Ervis conresis podagram accipiunt (1037), Ervorum omnino frequens usus choleram morbum efficit (1230). Et commendat Ervum ad usum internum: praecipue cum lini semine et sesamo ad potiones sitim sedantes (497), contra tabes (352), sic farinam Ervorum in phthisi pulm. (532, 538), Erva viridia una cum lactis

potione in tabe dorsali (539); in hydrope post paracentesin ad exsiccandum (545); externum: ad fomenta contra dolores arthriticos occicapitis, cervicis et dorsi (468), contra uteri dolores (576), in tetano traumatico (1146), ad cataplasm. in metrorrhagia (668), pleuritide (387) et contra ephelides (667).

Φακός.

Ervum Lens L. Hipp. Lentes, ait, aestuosae sunt et turbant et neque alvum dejiciunt, sistunt (356); alvum potius quam urinam movent (360). Lentes adstringunt et turbationem inducunt, si cum cortice fuerint (404) et in frigidis cibis adnumeratur (1185). Commendat autem lentium decoctum ad usum internum: febricantibus post purgativa (526, 536, 544 etc.) contra diarrhoeam colliquativam (405, 636); atque omnino in alvi profluviis et phthisibus ad vomentum, quod quoque ante, cum et post Hellebori potionem usurpabatur (477, 479—481, 1144 etc.); lentium, aceti, salis et origani multi decoctum in febr. puerpurali, quod si strangulatus accesserit (610), in hydrope post paracentesin ad exsiccandum (545); externum: contra rugas oris uteri, unde dysmenorrhoea orta (569), ad inhalationes in hysteria (570), farinam tostam ad uteri fomenta (585), ad cataplasm. in metrorrhagia (668), ulceribus inflammatis (875), post haemorrhoidarum combustiones (892), ad collutiones uteri exulcerati (634) etc.

Ἐρέβινθος.

Cicer arietinum L. Cujus plura apud antiquos genera nominantur: rubra, alba, fusca etc. omnibusque ex descriptionibus antiquissimum nutrimentum commune fuisse, ut adhuc in Orienti, patet. Hipp. Cicer, inquit, album alvum et urinam movet et nutrit. Nutrit quidem quod carnosum est, dulce per urinam redditur, salsiginosum per alvum demittitur (356). Alvum omnino potius quam urinam movet (360), sed flatum tum crudum tum frictum et dolorem parit (404). Quod exhibuit plerumque cum uva passa ad potiones in ictero (472,

497), contra uteri dolorem seu ex morbo seu medicamento quodam (cantharidibus etc.) exortum (570, 624, 673), ad potiones diureticas (671) et saepissime ad potiones hystericas (576 etc.)

d) MUCILAG. SACCHARINA.

Συκάς, κράδη.

Ficus carica L., fam. Artocarpeae, patr. Asia minor, Africa septentr., Europa austral. Cujus multa antiquis genera cognota fuisse videntur. Fructuum ab Hippocr. albi et nigri discernentur, qui optimum nutrimentum ab omnibus habentur, vel adhuc monocharum et rusticorum in Archipelago ficus passas cum hordei pano unicum fere nutrimentum esse, Tournefortius narrat. Hipp.: Ficus passae, ait, aestuosae sunt, alvum tamen dejiciunt. Ficus viridis humectat, alvum dejicit et calefacit; humectat quidem, quod succo praegnans sit, calefacit vero propter lac, sed alvum dejicit, propter ejusdem dulcedinem. Primae ficus vitiosissimae, quia lacte plenissimae, optimae postremae. Ficus aridae aestuosae alvum tamen dejeciunt (360). Et commendat ficum ad usum internum: in ictero ut bilem expurgans medicamen (551); externum: ficus praematuras ut stypticum et adstringens (401), contra vulnera et ulcera (876, 878), maturas ad gargarisma in angina (470) et corticem viridem contra ulcera maligna (877); in pesso: ficus contra sterilitatem (633), ut purgans, humidorum quodvis genus educens (629, 670 etc.), ut emolliens (265, 685), corticem viridem in prolapsu uteri post partum (266); ad injectiones uteri: ficus praematuras contra leucorrhoeam et dysmenorrhoeam (566, 568, 754), ad cataplasma contra inflammationem (525) et tumorem (874) et ad balanos bilem expurgantes (571).

Φοίνιξ.

Phoenix dactylifera L., fam. Palmeae, patria: Africa et Asia. Cujus fructus saccharo et mucilagine opulentus ut

nutrimentum adhuc maxime aestimatur; pars quoque erat illius veterum decocti pectoralis, specierum diathamanon Nicolai, Electuarii diaphoenici et Solenandri ad podagrae curationem praecipue commendati. Hipp. eos nominibus *δακτιλων, φοινικων* et *βαλανων* contra alvi profluvia maligna usurpat (405).

Ἀνδράχνη.

Portulaca oleracea L. Hipp.: Portulaca, inquit, fluviatilis refrigerat et sale condita calefacit et purgat (359). Cujus semen commendat ad potiones emmenagogas, ad educendas menses (571) et foetum (625); Portulacam cum farinae massa ad cataplasmata (cum Allio) in metrorrhagia (667) aliisque uteri morbis (584), contra combustiones, quod dolorem omnem tollit (635) et in pesso: contra sterilitatem cum Myrrha, Porri sem. et Felle tauri (622).

Περσέα.

Cordia Myxa L., fam. Sebesteneae, patria: Asia et Africa. Cujus fructus prunis similes ut medicamenta mucilaginosa saccharina antea erant officinales, ab Hippocrate vero deorsum solum usurpata (635). Nomen *Περσεα* a Perseo, Macedoniae rege derivatur, qui hanc arborem ad Memphim in Aegypto primus plantasse dicitur.

Βλίτον.

Amaranthus Blitum L. Cui Dioscorides omnem vim medicatricem derogat. Hipp. Blitum calidum neque alvum movere (359) dicit, quod vero error sit necesse est, quia eodem libro contra obstructionem (371) et cum aliis medicamentis saepe ut alvum movens medicamen commendatur; alio deinde loco (529) Blitum vires reficere et alvum dejicere affirmat. Praeterea ut cibum in febribus post purgationes vehementes (526) et in pesso: contra metrorrhagiam ad fluorem exiccandum usurpat (669).

Σεῦτλον, τεῦτλον.

Cujus jam antiqui duo genera cognoverant: rubram = Betam vulgarem L. et albam = Betam Ciclam L., fam. Chenopodiaceae Cujus radix, folia etc. mucilagine et saccharo opulentae sunt. Hipp. Beta, ait, alvum potius quam urinam movet (360), vires reficit et humiditate alvum dejicit (329). Betae succus quidem alvum dejicit, olus autem ipsum cibo sumptum sistit, radices vero alvum magis movent (359). Ad usum internum commendat: betam coctam aceto conditam contra dysenteriam, ubi inter olera refrigerantia numeratur (373), post medicamina vehementer purgantia (404, 543), febricantibus (526, 1210), in phthisibus (538) et ad lac augendum (608); externum; ad clysmata eccoprotica in hydrope, morbis nervosis aliisque (550, 557, 558, 636), ad uteri injectiones in prolapsu (658), folia ad cataplasmat. adstringentia (426) et refrigerantia in inflammationibus (521), praecipue pneumonia (535), contra ulcera maligna (829), in luxatione cum cutis et carnis laesione (829), radicis infusum ad gargarisma in angina (470) et succum contra lenticulas (667).

Κράμβη.

Brassica oleracea L. omnium ex familia Crucifer. inprimis cognita et antiquissimis jam temporibus ut nutrimentum et medicamen maxime existimatum, ita ut Jonii per Brassicam jurarent, unde Hipp. sacram eam vocavit. Plinius in hystoria sua naturali: Brassicae ait laudes longum est exequi, cum et Chrysippus medicus privatim volumen ei dicaverat. Hipp. in universo dicit: Brassica acrimoniam quandam (facultas omnium Crucifer.) habet, qua alvum movet, simulque boni succi est (529); calefacit, per alvum secedit et biliosa educit (359), sed alvum potius quam urinam movet (360). Quam commendat ad usum internum: ut eccoproticum contra capitis dolores bile excitato (468), in phthisibus (538), diabete (1170), contra sterilitatem (264), ad educendas menses, placentas (571, 608) et lochias (603), atque omnino cibo

sumendum in omnibus uteri morbis (640 etc.). Ita Athenis etiam puerperam Brassicam ut tutelam cibo sumsisse, Athenaeus narrat. Externe: in pesso: ut medicam. purgans (586), emolliens (620) et foetum ejiciens (634), ad uteri injectiones: expurgandi causa (630), contra ulcera uteri et fluorem (574, 627), pudendorum (644), contra calculum (585); radicem et semen contra cutis maculas.

Γογγυλις.

Brassica campestris De Cand. Veteres quidem botanici *Γογγυλιν* Theophrasti aliorumque antiquorum autorum pro Brassica rapa habuerunt, sed Theophrastus ipse idem quod Romanorum autores de agricul. narrat: semen Brassicae oleraceae dare interdum rapam; quare Hippocrates *Γογγυλις* pro Brassica oleracea L. var. Napo — brassica, seu Brassica campestri De Cand. nunc omni jure habetur. Hipp. Rapum ait aestuosum est, humectat autem et corpus conturbat, non tamen per alvum secedit, verum urinae difficultatem adfert (359), et commendat eorum decoctum, cum caseo insulso, papavere, sale, oleo, lasere et aceto conditum in typho abdominali (554).

Κολοκύντη.

Cucumis sativus L. Nutrimentum est ubique cognitum, quando vero et ubi primum excultus fuerit, nescimus. Hipp., qui Cucumerem refrigerare, vires reficere et humiditate alvum dejicere dicit (359, 529, 1185), commendat eum febricantibus (526) atque in morbo quodam cerebrali (565).

Σίκυος.

Cucurbita Citrullus L., quae nunc quoque nomine *Σικυας* in insulis Archipelagi non raro colitur. Hipp. Cucurbita ait cruda, frigida aegreque concoquitur. Matura vero urinam et alvum dejicit, verum flatus excitat (360). Cujus semen urinam magis quam alvum movet, implet autem et incrassat. Alvo quidem secedit propter externis putamen, carne

vero implet et incrassat (356). Semen usurpat tostum c. amygdalis in pectoris morbis (484), ictero (551) et pollen (παλη σικυου), quod Erot. apud Hipp. tenuem ex cucumere farinam esse dicit, febricantibus ad potiones sitim indubitanter sedantes (497).

Σίκυος πέπων.

Cucumis Melo L. Cujus jam antiqui haud ignorabant varietates. Hipp. enim: Cucumis ait Pepo et urinam et alvum movet ac levis est, alter autem pepo sitim sedat. Ab horum neutro nutritio non nisi tenuis quaedam procedit, sed neque malum aliquod effatu dignum ab horum neutro (529); et commendat eam contra haematuresin (1239), cortice detracto ex aqua ad potiones diureticas, refrigerantes et sitim sedantes (497), interiora ejus trita ad cataplasma in ani inflammati prolapsu (890).

VIII. SACCHARINA.

---

a) SACCH. VEGETABILIA.

Γλυκύῤῥιζα.

Liquiritia s. Glycirrhiza glabra L., fam. Leguminos., patr. Europa austral., quam Celsus solum Radicem dulcem vocavit. Hipp. eam cum melle subact. et unguento rosaceo aut Aegyptiaco in pesso ad lochias educendas commendat (624).

Πολυπόδιον.

Polypodium vulgare L., fam. Filic. Cujus radici saccharum praecipue inesse dicitur. Quam Hipp. contra lochias abnormas (601) et uteri scirrhum (652) potu commendat.

b) SACCH. ANIMALIA.

Μέλι.

Mel, succus fabricatus Apium mellificium L., fam. Nektar., pariter ac saccharum apud veteres ante hujus cognitionem exhibebatur. Quare mirabile non est, mel ab Hipp. tam frequenter adhibitum fuisse. Mel, inquit, calidum et siccum est sincerum; ex aqua vero humectat et biliosis alvum dejicit, pituitosis vero sistit (359). Deinde: Mel cum caeteris sumptum et nutrit et coloris bonitatem facit, per se autem magis attenuat, quam vires reficiat. Nam et urinas fertur, et supra modum expurgatur (529). Cujus commendat:

a) Mel sincerum ad usum internum: praecipue ad ecclegma in pectoris morbis (401, 406, 1211), phthisibus (476), ad medicamina diuretica et eccoprotica; externum: ad balanos in volvulo (491), ad pueri alvum solvendum (634), in pesso ut emolliens (265), ad injectiones uteri exulcerati (879) etc.

b) *Μελίκρατον* = Hydromel, mixturam quandam ex 7 partibus aquae et 1 parte mellis (Oribasius) saepissime ad potionem in morbis ardentibus praecipueque statu bilioso ut bilem purgans et refrigerans (386, 392, 393, 396), ut diureticum et eccoproticum (526), ut emeticum in statu gastrico bilioso (519, 537, 1229, 1234), ad uteri injectiones (665).

c) *Ὀξύμελι* s. *ὀξύγλυκυ* = Oxymel, cujus varias praeparationes ex melle, aceto, aqua etc. Galenus diligenter explicat libro de sanitate tuenda IV. cap. b. VI. 279. Quod Hipp. ad potiones febriles commendat praecipue contra dolorem (586) et anxietudinem in morbis pectoris et hepatis cum dolore (402), obstructionem pertinacem (1228), in febribus vulnerariis (760) etc., de quo omnino diligentius agitur pag. 393 et 394.

Γάλαξ.

Lac multorum animalium antiquissimis ex temporibus ut nutrimentum maxime existimabatur et frequentissime aegrotis

commendabatur. Hipp. Lac, inquit, ovillum alvum sistit. Caprinum vero magis alvum subducit, bubilum minus. Equinum et asininum per alvum magis demittitur (355). Quorum frequentissime usurpabat lac asininum et serum lactis *a)* ad potiones per 40 s. 45 dies, ubi post lac asininum (seu serum lactis) bubulum et caprinum postbibatur: iu morbis chronicis praecipue phthisibus (537, 539, 545 etc.), contra fluorem album (642), haematemesin chronc. (629), arthritidem (554), epilepsiam (397), post delirium tremens (589); *b)* ut eccoproticum in febr. gastrica (396), ictero (401) cholèra sicca (405), morbo nigro (472), dysenteria (1210) et aliis profluviis (1222); *c)* post purgationes (546, 554 etc.).

Lac equinum: contra hepatis indurationem (545), lochias nimias (603) et dolorem ex foet. corrupt. purgatione (684).

Lac bubulum contra metrorrhagiam (639) etc.

Lac ovillum contra amenorrhoeam et hysteroloxiam lateral. (565 etc.).

Lac muliebre ad medicamina praeparanda et ad aurium injectiones (472).

Lac denique omnino ut malignorum remedium (1190) ad potiones crassum faciendi (535, 541) et ad clysmata laudatur. Sed malum habetur: capite dolentibus, febricantibus et quibus praecordia sublata murmurant et siticulosis. Malum quoque et quibus biliosae sunt dejectiones, quique febre acuto laborant, et quibus copiosa sanguinis dejectio facta est (1255).

Hic et commemoranda *Ἱππάκη* et *βούτυρον* (cremor lactis) quorum praeparatio pag. 357 describitur. Caseus denique, quem validum, aestuosum et alentem (356) vocat; et commendat caseum caprinum in profluviis ut adstringens (607, 629) caseum acrem et rutam cum vino nigro contra metritidem (651) et coagulum lactis ut stypticum (406).

IX. ACIDA.

Ὄξος.

Acetum, quod ab antiquis validissimum existimabatur, ut quisquis Romanorum militum ad potionem commiscendam quantitatem quandam acciperet. Hipp. Acetum, ait, refrigerat, quod corporis humidum colloquandi absumat, magis autem alvum sistit quam dejicit, quia minime alit et acre est (359). Deinde: aceti aceditas biliosis naturis magis confert quam melancholicis. Amara enim dissolvuntur et in pituitam transeunt, dum ab ipso in sublime attolluntur. Nigra vero fermentantur, in sublime attolluntur, et multis partibus augentur. Acetum namque nigra sursum educit. Mulieribus autem quam viris acetum longe magis est adversum, nempe cum uterum dolore afficiat (394). Quod commendat in morbis biliosis et morbis pectoris ad potiones quam plurimum offerenda, ut quae inde contingit madefactio excreationem faciat (416), contra haematemesin (468), hysteriasin (645) etc.

Κρινάνθεμον.

Sempervivum tectorum L., fam. Crassulac., cujus herba apud veteres nomine Sempervivi seu Sedi majoris officinalis erat. Hipp. Sempervivum „in domibus proveniens" ut emmenagogum et foetum expellens usurpat (570).

Κοτυλεδιον.

Cotyledon Umbilicus L., fam. Crassulac., patr. Europa australis, cujus Hipp. commendat folia cum porro, oleo et farina tritica cocta contra metritidem (582, 629), umbilicos ex aqua coctos sale et cumino ad sorbitiones contra sterilitatem (683).

Κράνεια.

Cornus mascula L., fam. Cornel., cujus fructum rubrum alvum sistere et acerbum esse Hipp. dicit (360), quosque veteres in febribus ardentibus et diarrhoeis chronicis usurpabant.

Μορέα.

Morus nigra L., fam. Artocarp., patr. Persia. Cujus Hipp. fructum calefacere et humectare per alvumque secedere (360) dicit, et radicem usurpat ad uteri injectiones et fomenta contra ulcera, si sordida (667) et ad semen cruentum educendum (672); folia ad lotiones contra ephelides (667).

Βάτος.

Rubus fruticosus L., fam. Rosac., patria: Europa. Cujus Hipp. fructus acerbos, adstringentes ac friabiles (426) ad potiones commendat hystericas (572), ad cataplasmata refrigerantia in locis inflammatis (525), contra metrorrhagiam (584, 667), ad uteri injectiones eodem in morbo (668) etc.

Μηλέα.

Pyrus Malus L., fam. Rosac. Cujus plura antiqui genera describunt. Hippocr.: Mala, ait, sylvestra alvum sistunt, cocta vero cibo sumpta magis alvum dejiciunt. Mala dulcia aegre concoquuntur, acida autem et matura minus. Malorum autem succus vomitiones sistit et urinam promovet, quod et odor ante vomitionem praestat. Succum deinde usurpat malorum sylvestrium, tum ipsa quoque epota contra asthma (360); decoctum malorum dulcium febricantibus ut potionem refrigerantem, eccoproticam et diureticam (497), contra diarrhoeam chronicam (405, 637).

Ἀχράς.

Pyrus communis L., fam. Rosac. Cujus Hipp. fructus immaturos alvum dejicere eumque purgare, crudos vero sistere dicit (360).

X. AMARA.

a) AMARA MUCILAGINOSA.

Βέχιον.

Tussilago Farfara L., fam. Compos., patr. Europa austral. Cujus herba et flores adhuc (partes spec. pector.) contra catarrhum chronicum commendantur, eademque in re a Dioscoride et Plinio laudabantur. Hippocr. eas c. Arı Drac. rad. et melle usurpavit contra tussim in phthisi pulmonali ulcerosa (532) et ad cataplasmata in luxatione c. carnis laesione (829).

Ὄφιος κάρπον deinde hic commemorandum est, quod Hippocr. ad suffitum contra metrorrhagiam (640) commendat. Semen id esse videtur illius herbae, cui folium ari naturam referre album tamen, laginosum, folii hederae magnitudinem aequare dicit eamque ad unguenta contra ulcera maligna (878) usurpat. Estne semen et herba Tussilaginis Farfarae?

Στρουθίον.

Gypsophila Struthium L., fam. Sileni, patr. Europa austral., Saponariae officinali L. simillima. Cujus herba pro sapone praecipue ad lanam lavandam Hispanienses et Neapolitani utuntur, quem ad usum eam jam Dioscorides commendaverat. Antiqui ejus decoctum magni ut medicamentum aestimabant. Plinius: „Medetur, ait, morbo regio et ipsa decocti ejus pota item pectoris vitiis; urinam ciet, alvum solvit et vulvas purgat. Quamobrem aureum poculum medici vocant.“ Hipp. Struthium ad Andri insulae littora praecipue produci dicit ejusque sem. et radicem ad usum internum et externum ad educendas lochias, menses et aquam et ad emolliendum (265, 572, 624) commendat.

Ξάνθιον.

Xanthium strumarium L. a botanicis veteribus Lappa minor nominatum ac saepe cum Dulcamara et Saponaria officinali contra exanthemata, rheumatismum, arthridem etc. usurpatum. Cujus radicem Hippocr. ad uteri suffitus (672) commendat.

Λινόζοστις.

Mercurialis annua L., fam. Euphorb., patr. Europa austral. Plinius duo *λινόζοστις* genera: masculam et foeminam describit: „Mirum est, inquit, quod de utroque eorum genere proditur, ut mares gignantur hunc facere, ut foeminae illum." Ut nutrimentum commune a veteribus exhibita, ut virulenta nunc habetur. Hipp., qui eam alvum potius quam urinam movere dicit (360), herbae seminisque decoctum et jusculum persaepe commendat ad alvum eluendum (465, 1208, 1210, 1222 etc.) atque saepissime in tota mulierum tractatione ad usum internum et externum ut in metritide, hysteriasi, contra fluorem uteri et dolorem (572) atque omnino ad uteri purgationes (606, 620, 622, 632 etc.).

b) AMARA AROMATICA.

Ἀψίνθιον.

Artemisia Absinthium L., fam. Compos., patr. Europa austral. Cujus herbam s. sumitates adhuc officinales magnique aestimatas Hipp. commendat ad usum internum: in ictero (491), radicem ad lochias educendas (587); externum: in pesso: rad. ut purgans (587) hydragogum, emmenagogum et emolliens (574, 620), herbam in metritide ex partu (629), ad uteri fomenta (587), et ad corpus illiniendum in tetano et trismo traumatico (565).

Ἀρτεμισία.

Qualis sit Hipp. Artemisia difficillimum est interpretandi, cum multa ejus genera antiqui descripserunt, quae qui-

dem omnia facultate physiologica et medica idem valent. Hipp. eam commendat ad potiones placentam (608) et bilem educendi (620), ubi Artemisiam mercuriali praestare et efficacius purgare dicit; in pesso ad omnem puerperam (571), contra fluorem album (266), ad menses et lochias educendas (623); semen et folia ad uteri suffitum ut osculum clausum, si connivet, dehiscat (265, 266).

Ἀβρότανον.

Cujus duo genera graeci medici descripserunt: masculam = Artemisiam abrotanum L. et foeminam = Santolinam Chamaecyparissum L., utrique eandem facultatem attribuentes. Hipp. Abrotanum commendat ad usum internum: contra dolores in pleuritide morbi initio (402), ad partum accelerandum (623) in hysteriasi (621); externum: in pesso ad educendas menses et lochias (586, 624).

Εὐάνθημον.

Quod et chamaemelum vocari Galenus narrat, quare Anthemis nobilis L., fam. Compos., esse dicitur, quae amaritate opulentus, oleo autem aethereo paucior quam Chamomilla vulgaris L. est. Hipp. Euanthemon viride cum vino dulci ad potiones menses et lochias educendi (570, 625) et in pesso (624, 632) usurpat.

Παρθένιον.

Quod non semper eandem significat herbam: Anthemida et Linozostin Parthenium vocari aut Amaracum scribit Dioscorides. Perdicum etiam Celso Parthenium et Artemisia Plinio, ab Artemisia Mausoli uxore denominata, quae antea παρθενις dicebatur. Hipp. duo commendat genera fam. Compos.:

1) *Παρθένιον* non cognominatum = Matricariam Parthenium L., ad fomenta cum foliis Lauri et Cedri ramentis contra sterilitatem (586). Cujus cum Chamomillis decoctum Simonus Pauli contra hysteriasin et ad lochias educendas commendavit.

2) *Παρθένιον τὸ μικρόφυλλον* = Anthemidem Cotulam L., Hipp. qui, Parthenium ait minuta habet folia, et cutis glandem tegentis thymiam aufert, usurpat eam cum alumine, chalciti etc. ut tenue aridum contra ulcera (877).

Πολυόφθαλμος.

Anthemis tinctoria L., cujus apud veteres flores nomine Buphthalmi officinales erant. Foesius: *πολυοφθαλμος,* ait, herba est, quae et *βουφθαλμος* dicitur, vim habens siccandi et eandem quam Tussilago. Hipp. usurpavit folia ad ulcera cum luxatione conjuncta (830).

Ἑλένιον.

Inula Helenium L., fam. Compos. Cujus rad. praecipue mucilaginosa et aromatica, gustu amaro et aestuoso oleum habet aethereum (Helenin), resinam, gummi etc. Hipp. eam ad potiones usurpat hystericas (572).

Κόνυζη εὔοσμος et *δύσοσμος.*

Conyzae duo genera ab Hippocrate adhibita certe interpretari non possumus propter inaccuratas earum apud antiquos descriptiones. Eas tamen ad Erigeron seu Inulae genera pertinere scimus. Plinius: et Conyzae, ait, duo genera in coronamentis mas ac foemina, differentia in folio, tenuius foeminae etc. Quarum masc. seu Conyza bene olens aliis Inula bifrons L. aliis Inula viscosa W. habetur, foemina s. Conyza male olens, quae herba laginosa et Petroselino similis esse dicitur, Caesalino Ambrosia maritima L. aliis Inula Palicaria L., s. Erigeron graveolens. Hipp. usurpat *a*) Conyzam bene olentem cum foliis Sambuci ad potiones in lienteria (556), succum expressum contra sterilitatem (622), ad foetum mortuum expellendum; et in pesso (626), *b*) Conyzam male olentem ad potiones in hysteriasi (564, 646); ut emmenagogum (foetum, placenta et menses educens): ad potiones (571, 625) et in pesso (583, 625, 665).

Κάλαμος εὐώδης.

Acorus Calamus L., fam. Typhaceae, patr. Asia et ex saeculo XVI. in Germania excultus. Cujus rad. oleo aethereo, resin. etc. opulenta ut medicam. jam antiquis medicis magni existimabatur. Hipp. eum usurpavit ad uteri fomenta (651 etc.), ad uteri injectiones (574, 628), ad uteri suffitum: contra fluorem (575, 668 etc.), in pessariis ad foetum mortuum ejiciendum (634) et ad unguenta (628).

Hic et Ὀρχόμενον commemorandum, quod Hipp. cum Anagalli et Alumine in ulcera inspergendum commendat. Incertum vero est, utrum adarce aut adarcion intelligatur, quod plurimum inter arundineta locus Orchomenii innascitur, an vero calami cortex ustus accipiatur, qui etiam tenuium est admodum partium, valdeque deterget, exiccat et digerit, ideoque ad alopecias est efficax. Orchomenii lini meminit Plinius XIX. 1. (Foes.).

c) AMARA RESOLVENTIA.

Χολή.

Multorum quidem animalium sed praecipue fel tauri commendat Hipp. ad usum internum: contra dysmenorrhoeam (587) et ascarides (666); externum: in pesso: contra omnes fere uteri morbos: ut emolliens (265) ut purgans (636, 679 etc.), ad educendam aquam et pituitam (573 etc.), contra dolores, ad foetum mortuum ejiciendum (634), contra sterilitatem (665, 681, 685 etc.), ad balanos in lienteria, obstructione habituali (1239), et pro pueris (634) ad unguenta contra ulcera vetera seu recentia (876); Fel scorpii in pesso (584, 625 etc.); Fel caprae ad med. ophthalmica (635).

Πράσιον.

Marrubium vulgare L., fam. Labiat., patr. Europa. Quod jam Dioscorides et medici arabaci ut resolvens et expectorans in pectoris morbis et expectorandi difficultate, mixtu-

ram ex succo et melle Celsus et Caelius Aurelianus in illis (sic dictis) infarctis pulmonis et hepatis etc. adhibebant. Hipp. Marrubii folia usurpat ad potiones contra sterilitatem (680), ad cataplasmata in tumoribus inflammatis (874), et cum oleo in ulceribus et vulneribus (878).

Βάλανος αἰγύπτιος.

Guilandina moringa L., fam. Cassiae De Cand., patr. India. Cujus semina nomine Nuces Behen seu Balani myrephicae officinales erant; multum iis inest oleum pingue et amarum quoddam principium resolvens, radicis praecipue cortex gustum acrem et odorem rad. Armoraciae similem habet. Hipp. usurpat nuces in pessariis c. oleo anthino ad menses educendas (573).

Ἀνδράφαξις.

Atriplex hortensis L., fam. Chenopodiaceae, patr. Tartaria: acrietate et amaritate insignis Hipp. Atriplex, ait, humida est, neque tamen alvum dejicit. Dioscorides contra et Galenus eam laxativam esse affirmant. Cujus usurpat Hipp. semen vel succum cum melle ad uteri dolores demulcendos, si caligo est in uteris (663) seu genitura in utero amoratur, ibique putrescit et molestiam excitat (597).

XI. ADSTRINGENTIA.

a) ADSTRINGENTIA PURA.

Κηκῖδες.

Gallae turcicae ictu Cynipis Gallae tinctoriae Oliv., insectae griseae, abdomine ferrugineo-sericeo, basi glabro nitidissimo in ramis: Quercus infectoriae L., fam. Cupilifer., patr. Asia minor, orientes, in quibus hae insectae habitant, monothalemae sunt cartilaginosae vel suberosae inter-

dum resinosae. Hipp. eas usurpavit ad potiones cum Origano, Ruta et Pulegio contra metrorrhagiam (609), in pessariis contra prolapsum uteri (267, 671) et sterilitatem (622), ad uteri suffitus (575), fomenta (576), praeterea ut stypticum siccum (1175). Post haemorrhoidarum decisionem (893) atque omnino ad eas adstringendas (894), contra vulnera (876), capitis ulcera (465) et panaritium (1056).

Δρῦς.

Quercus arbores et fructus varie nominatos apud antiquos reperimus; plerique tamen in eo consentiunt, ut φηγὸς Quercum Esculum significat, et φηγόι ejus fructus, πρῖνος autem Quercum Ilicem L. et ἄκυλος ejus fructus; δρῦς contra arborem omnem glandiferam et βάλανος ejus fructus. Quum vero tria in Graecia Quercus genera cum fructibus esculentis nascantur: Quercus Esculus L., Querc. Ilex Sm. et Querc. Ballata Desfont, illi tres apud Hipp. simul commemorati βάλανοι, φηγοὶ καὶ ἄκυλοι fructus horum tria generorum esse possint, nisi forsitan βάλανοι nuces castaneas significant. Hipp. omnes crudas et tostas alvum sistere, coctas vero minus (360) dicit, et usurpat: rad. Querc. Ilic. ad unguenta contra ulcera (876) et ad cataplasma contra combustiones (881) et ceterorum generum folia ex aqua cocta ad cataplasma refrigerans in locis inflammatis (525), corticem et folia ad uteri suffitum in hysteriasi (671) et putamen ex glandibus ad unguenta contra capitis ulcera (465).

Θοινικικοι κόκκοι deinde utrum baccae Quercus cocciferae L. (Dierbachus) an Paeoniae an Daphne Gnidii (Foesius) sint, decernere non audeo.

Λωτός.

Celtis australis L., fam. Ulmaceae, patr. Europa austral. (de qua cf. Sprengeli antiquit. botanic. p. 49. XLIX.). Cujus Hipp. usurpat ramenta ut adstringens (577) scobem ex vino et flores aqua coctas in metrorrhagia (669), ad unguenta in ulceribus (614); ad fomenta uteri in prolapsu etc.

(564, 576, 585, 671), ad uteri suffitum contra sterilitatem (265), metrorrhagiam (668, 575), species ad suffitum pudendorum ramenta celtis, cypressique et folia Rhois coriariae L. ad cataplasmata in metrorrhagia etc. (585, 667, 668) scobem et ramenta c. cupro seu plumbo, thure, pice ex aceto seu vino ad vulnera et ulcera exsiccanda (877).

Κιννάβαρις.

Sanguis draconis, resina est ex fructibus Calami Draconis Willd., fam. Palmae, patr. Sumatra; quam Hipp. ad balanos pueros purgandi cum oleo lentisco et ad adipe anserino usurpavit (635).

Μυρίκη.

Tamarix gallica L., fam. Tamariscinae. Quam Hipp. et *πρόμαλον* nominatam usurpavit ad potiones contra metrorrhagiam et dolorem (667); ad uteri injectiones contra fluorem album (669), in pesso contra sterilitatem (622) ad unguenta c. plumbo et gallis turcicis haemorrhoidas foeminarum adstringendi (894).

Ὑπόκιστις.

Cytinus Hypocistis L., fam. Cystineae, planta parasit. Cisti generum in Europa australi. Cujus succum saeculo passo ut med. adstringens non raro exhibitum Hippocr. usurpavit ad potiones hystericas (572).

Πεντάφυλλον.

Cujus duo genera commemorat Hipp.:

a) Nigram = Potentillam reptantem L. (sec. Sprengel. et Tragum Tormentillam erectam). Cujus folia apud veteres nomine herba Pentephylli officinalia erant. Hipp. usurpat rad. ex aqua ad potionem in febribus tertianis (474) et ardentibus (497).

b) Albam lanuginosam altioremque quam nigra = Potentillam argenteam (folia nomine Herb. Argentinae antea officinalia): in cataplasm. ad tendinem praecisum admovendam (880).

b) ADSTRING. AMARA.

Ῥόα. Σίδη.

Punica Granatum L., fam. Granateae, patria: Africa septentrional. Cujus Hipp. exhibuit fructus (= mala punica Romanorum, optima ex Carthagine accipientium) succum, corticem Granati s. Malicorii (σίδιον) maxima vi adstringenti, et interiorem mali partem = κωκκωνες Hipp. jam granata dulcia et acida discernit. Mali, inquit, punici succus alvum dejicit, verum aestuosum quiddam habet. Mala punica, quae vinoso sunt succo, minus aestuosae sunt. Acida vero magis refrigerant. At omnium nuclei alvum sistunt (360). Deinde: Malum punicum vires reficit et pituitosum est, et cum nucleo quidam alvum firmat, citra nucleum vero movet (529). Fructus usurpavit ad potiones hystericas (532); succum ex fructibus in pleuritide (475), aliisque in pectoris morbis (495); in tabe (538), contra vomitum chronicum (635, 1229), et haematemesin (1234), contra alvi profluvia (610), metrorrhagiam (667) et oculi morbos (636).

Ῥοῦς.

Rhus Coriaria L., fam. Cassuviae, patr. Europa austral. Cujus folia et baccae nomine Sumach. officinales erant. Hipp. Rhus, inquit, adstringens ac friabilis est, et commendat folia et fructus ad usum internum: ad educendas lochias, menses etc. ut pellens (572 etc.) et in pectoris morbis picum fructubus condendum folia ut adhuc in Orienti (531); externum: contra metrorrhagiam (639), prolapsum uteri (267), ad suffitum (585, 668) et ad uteri injectiones; ad cataplasmata in angina (470) atque omnino ut adstringens (426).

Δρυοπτηρίς.

Asplenium Adjantum nigrum, fam. Filices. Cujus herba nomine Adjanti nigri officinalis erat. Sprengelius δρυοπτηρίν Polypodium Dryopterin L. sumat, sed huic plantae acrietas illa a Dioscoride descripta deest. Hippocr. rad. usurpavit ad potionem partum accelerandi (623).

Καλλίφυλλον. Ἀδίαντον.

Adjantum Capillus veneris L., fam. Filices. Quam herbam ad usum medicinalem ex Monte Pessulano accipere solemus, unde nomen herbae capillorum Veneris. Cujus jam illo tempore plura genera forsitan cognita erant, quia et *καλλίφυλλον* quod et *τριχομανὸν*, seu *καλλίφυτον* quod et *καλλίτριχον* nominabatur, adjantum esse dicit Galenus in Exegesi XIX. 107. Cujus succum Hipp. ut diureticum et refrigerans (360) habet, et commendat ad usum internum: ad potiones refrigerantes: pugillum cum hordeo et aqua in febribus ardentibus (497), in ictero (551), contra fluorem album post lactis potionem (642), ad potiones hystericas (572), ad partum accelerandum (623), contra metrorrhagiam (667), atque ut diureticum contra ischuriam (1226); externnm: si anus prolapsu humore madeat et sanie diffluet (post elutionem cum myrrho et faece) adjanti pulvere inspergere (888).

Ἐρείκη.

Erica arborea L, fam. Ericeae. Quam Hipp. ad potiones hystericas usurpat (572).

Ἰτέα.

Qualis sit ex Salicineis, certo interpratari non possumus. Hipp. usurpavit folia ad uteri suffitum: menses educendi causa (627).

Μελία.

Cujus plura Hipp. commemorat genera:

α) *Μελία* = Fraxinus Ornus, fam. Fraxin., patr. Eur. austral. praecipue Calabria et Sicilia, unde mannam calabrinam s. sicilianam accipimus. Hipp. usurpavit ad suffitum ramenta ejus cum iis Cypressi et rad. Cupressi (575).

β) *Βουμελία* s. *πολυμελία* = Fraxinus excelsior L., Cujus cortex ut adstringens amarum et febrifugum antea commendabatur. Hipp. usurpavit semina ex vino ut diureticum et contra uteri dolorem (571).

Κισσός.

Hedera Helix L., fam. Araliaceae. Cujus folia, lignum et resina officinalia erant. Longe magis existimabatur Hedera ab antiquis, quorum autores permulti eam saepissime commemorant, cui omnino multa in rerum antiquarum historia innectunt. Neque igitur mirum est, antiquos eam jam ita cognosse, ut varia ejus genera deligenter discernerent. Hipp. commemorat albam et creticam Hederam et usurpat semen et foliorum succum in vino veteri ad potiones contra sterilitatem singulis mensibus desinentibus ac ventre et utero purgato (599) et contra fluorem album (669); in pesso: ut expellens cum cedri scobe (626) et ut adstringens in uteri prolapsu (657); fructum, folia sicca et cort. ad suffitum uteri in hysteriasi (671), ad injectiones uteri exulcerati etc. (426, 627, 628), ad cataplasm. folia contra ulcera in pudendis (633) et radicis pulv.: cum farina, oleo, vino et aqua in prolapsu ani inflammati (890).

Ἑλξίνη.

Parietaria officinalis L., fam. Urticeae herbam ut emolliens et diureticum contra catarrhum, lithiasin et hydropem antea commendatam Hipp. ex vino tritam ut foetum mortuum excutiens usurpavit (627).

Ἐρυθρόδανον.

Rubia tinctorum L., fam. Rubiaceae, patr. Europa australis. Cujus radicem ut diureticum, in ictero, dysenteria etc. antiquis usurpatam et nuperrime Johanno Belchier, medico anglico, ut diureticum recommendatam, a veteribus (Cosnier, Levret, Sydenham, Marx etc.) contra rachitidem aliosque ossium morbos aestimatam, a Du Hamelo autem neglectam et dissuasam, Hipp. usurpavit ad potiones contra dysenteriam (407), contra dolores ex partu atque ut expellens (634) et contra sterilitatem (681).

Ῥάμνος.

Zizyphus vulgaris L. (?), fam. Rhamneae, patr. Asia minor. Cujus baccae nomine Jujubae officinales in morbis pectoris, renum vesicaeque recommendatae. Hipp. usurpavit folia ad cataplasmata in locis inflammatis (525), baccarum succum ad uteri injectiones post partum metu metritidis (570).

Λάπαθον.

Rumex Patientia L., fam. Polygoneae, patr. Europa austral. Hipp.: Rumex, ait, calefaciendo alvum movet et vires reficit (359, 529). Cujus usurpat folia febricantibus post purgativa (404), rad. ut expellens (634), semen cum cortice gallae turcicae contra metrorrhagiam (667).

Λάπαθον ἄγρια.

Rumex obtusifolius. Cujus radix nomine Lapathi acuti praecipue officinalis erat, jam Horat. (Sat. II. 4.) vim ejus purgativam cognoverat: „Sidura morabitur alvus lapathi brevis herba" etc. Hipp. usurpavit rad. cum aceto vinoso contra impetigines (667); quam et Aretaeus et Dioscorides contra scabiem et inpetigines laudabant.

c) ADSTRINGENTIA AROMATICA.

Ῥόδον.

Cujus tria Hipp. commemorat genera:

a) *Ῥόθον* non cognominat. Rosam Centifoliam veram florum reginam, quam Biebersteinus ad Caucasum nascentem vidit. Hipp. folia rubra sicca suave olentia cum croco usurpavit ad uteri suffitum (575), ad injectiones uteri exulcerati (609), in pesso contra metrorrhagiam (669), scirrhum uteri cum dolore vehementi (673) et stranguriam (674);

b) *Κυνόροδον* = Rosam Gallicam L. Cujus flores rubras Hipp. ex vino contra metrorrhagiam (587) usurpat, et

c) *Κυνόςβατον* = Rosam caninam, cujus fructus et

semen nomine Cynosbati officinales erant; folia ad cataplasmata in tumoribus inflammatis Hipp. exhibuit (875).

Hic denique unguentum commemorandum seu oleum rosaceum, in quo plurimae rosae sunt maceratae, nihilque aliud praeter rosas additur, ab Hipp. saepissime ad usum externum praecipueque in pessariis ut purgans (660, 682 etc.) recommendatum, quod jam Trajanos exhibuisse, Homerus narrat.

Κυδωνία.

Pyrus Cydonia L., fam. Rosaceae. Cujus nomen a Cydone, Cretae insulae urbe derivatur. Plinius narrat, Romanos fructus odoris bene olentis causa in conclavis admissioni destitutis et simulacris noctium consciis impositos fuisse. Cujus fructus adstringere neque alvum dejicere dicit Hipp. (360), qui eorum decoctum usurpat ad potiones contra diarrhoeam in febribus ardentibus (497) atque omnino ad intestinorum difficultatem (637).

Aliud Cydoniae genus nomine *στρουθίον* ut emolliens in pesso contra os uteri induratum exhibuit (265).

Μεσπίλα.

Cujus duo Theophrastus describit genera: Mespilus germanica L. et Mespilus tanacetifolia Smith, quae in Graecia nascuntur. Cujus fructus alvum sistere et acerbos esse Hippocr. dicit (360), qui eos contra alvi profluvia usurpat (405).

Hic et *ἀμαμηλίδες* commemorandi ab Hipp. ad lac provocandum cum sesamo et hordeo trimestri (608) usurpati, quos Gal. in Exeg. dicit Mespili esse speciem quandam, quae Dioscoride *επιμηλιδα* et *σιτανιον* vocatur plurimumque in Italia nascitur.

Οὖον.

Sorbus domestica L., fam. Rosaceae, antea ut adstringens officinalis. Cujus Hipp. fructus pariter ac Mespili locis ibi citatis contra alvi profluvia commendat.

Στοιβή.

Poterium spinosum L., fam. Rosaceae, a Graecis adhuc *στοιβιδα* nominatum. Cujus semen Hipp. ad uteri suffitus (575) et sem. ex aqua et oleo coctum mammis asperis in cataplasmat. obducendum (666) commendat.

Μυρσίνη.

Myrtus communis L., fam. Myrtaceae, patr. Europa austral. Dioscorides multos indicit morbos, contra quos ejus vis roborans et adstringens utilis esse dicitur. Hipp. commendat folia et baccas ad usum internum: contra alvi profluvia (405), ad educendas lochias (572), atque omnino ad potiones hystericas; nomine deinde *μυρτιδανον* Myrti excrescens quoddam ad partum accelerandum (603); externum: ad cataplasm. (584), ad fomenta frigida in prolapsu uteri completa (564, 656), metrorrhagia (662), si nervi foras promineant, quae scrota vocantur (671) et in prolapsu ani (888), ad uteri suffitum, ut osculum clausum aperiatur etc. (265, 686) et in pesso contra prolapsum uteri (687), ad collutiones uteri: expurgandi causa (599, 633), contra uteri ulcera (627), metrorrhagiam (668, 669), aphthas in pudendis (581) et frigidissimum decoctum ex baccis ad pudenda perfundenda contra prolapsum uteri et dolorem (655) et ulcera in pudendis (674).

Μυῤῥίναν denique in cataplasm. ad tendinem praecisum (880), quam Grimmius et Sprengelius ad Dioscoridem se revocantes pro Rusco oculento, plerique contra pro Myrto communi sumunt.

Ἐλελίςφασκον.

Salvia offinalis L., fam. Labiatae, patr. Europa austral. a veteribus contra molimina nervosa, paralysin, fluorem album etc. existimabatur ita ut Salvare medicus, a quo nomen Salviae derivatur, exvocare dicatur „cur moriatur homo, cui Salvia crescit in horto!“

Hippocr., qui Salviam siccam esse et alvum sistere (359) adstringentem, acerbam ac friabilem (426), dicit, eam usurpat ad potiones in phthisi pulmon. (476) aliisque pectoris morbis (480, 484), ad potiones hystericas (372, 576), contra dysmenorrhoeam (566), physometram et dolorem (585, 674), ad lac provocandum (608, 583), in hysteriasi (671), ad cataplasm. refrigerantia (525), ad fomenta, uteri collutiones contra ulcera (574, 1028), dolorem (674) atque in pessariis (632).

Ὕσσωπος.

Hyssopus officinalis, fam. Labiat. Graeci nunc nomine *υσσοπο* aliam plantam = Saturejam julianam vocant, ut narrat Sibthorpius. Hipp. qui Hyssopum calidum esse et pituitam ducere dicit (359), commendat eam affuso aceto et addito sale post vomitionem (338), ad potiones hystericas (572) et ad inhalationes in angina (*παρακυνάγχη* dicta), ut pituita resolvatur (490).

Κενταύριον.

Centaurea Centaureum L., fam. Composit. Cujus nomen a Centauro, filio Saturni et Philyrae, magistro Aesculapii derivatur. Centaurei semen Hipp. usurpat in pectoris morbis: si pulmonis utrinque dependentes fibrae convulsae (480), si pulmo in latus incubuerit, tussis et spirandi difficultas molestiam affert = Adhaesio pulmonis et pleurae (482), radicem ex vino contra tussim in phthisi pulm. ulcerosa (532).

Τράγιον.

Quod propter descriptionem inaccuratam, interpretandi, difficillimum est, sed id scimus ut Hyperici species quaedam sit, cum Dioscoridis *τραγιον αλλον* Hypericum hircinum L., habetur. Hipp. Tragium contra sterilitatem ad usum internum et externum commendat (681).

Ὀπέρικον.

Hypericum cripsum L., fam. Hypericinae. Hipp., Hypericum, ait, alvum movet et purgat idque usurpat in pectoris

morbis (480), in dysmenorrhaea (566), fluore albo (610), fluore et ulceribus pudendorum (644), ad potiones hystericas (572) et ad uteri injectiones (585).

Περιστερεών.

Verbena officinalis L., fam. Verbenaceae, patr. Europa austral. antiquissimis temporibus ut medicamentum maxime existimata, ut Plinius narrat. Cujus rad. c. rad. Foeniculi, semine Taedae etc. Hipp. contra sterilitatem usurpat (681).

Φιλίστιον.

Galium Aparine L., fam. Rubiaceae. Galenus Philisteum ait, idem et hoc esse videtur, quod Aparine et Philetaerium. Hippocr. ad usum internum cum melle et vino et externum in pesso ad menses educendas exhibuit (573, 670).

XII. JODICA.

Σπόγγος et Ἀλκυόνιον.

Spongia officinalis L. Zoophytum maris rubri et mediterranei, quam Hipp. contra metrorrhagiam etc. ad potiones (583, 667) et ad uteri suffitum exhibuit.

Ἀλκυόνιον deinde quod Spongiae affine esse dicitur ad lotiones contra lenticulas (666) usurpavit.

Βρύον θαλάσσιον.

Alga quaedam marina, secundum Sprengelium Zostera marina, fam. Najadae. Quam Hippocr. pro usu externo in febri puerpurali commendat: muscum ait marinum, quem in pisces injiciunt, in pila contusum, farina hordeacea cruda admixta, sarmentitio cinere et lini semine tosto, aceto oleoque subactis: Hoc quam calidissimum in cataplasmate apponito et si opus est, ad insessum adhibeto (570, 610, 628).

XIII. MINERALIA.

Χαλκός. Κύπρος.

Cuprum corruptione verbi „Cyprium" ortum, propterea quod cuprum cyprium Graecis et Romanis ut praestantissimum celebrabatur, omnium forsitan metallorum primum antiquis cognotum erat, apud vetustissimos enim autores commemoratur et ut medicamentum antiquissimum forma varia:

a) *χαλκοῦ ἄνθοι* = aeris flores ab Hipp. saepissime ad usum internum et externum ut adstringens etc. cum alumine et natro recommendatur; interne in empyema pulmonis ut expectorans (476, 494, 595 etc.), externe ut causticum, purgans et adstringens contra ulcera (875), ad nares: post nasi potypum seu putrescendo seu arte solutum (472), post derasionem et ustionem palpebrarum, post operationem fistulae ani (884), post haemorrhoidas decisas (893); in pesso: ut purgans contra sterilitatem (599, 622, 686), ut sternutamentum in apoplexia (469) et ad unguentum ophthalmicum contra scabiem et pruritum palpebrarum (689). Pars etiam est medicamenti nigri (635) et unguenti carici (879).

b) *χαλκοῦ ῥινήματα* = aeris ramenta et scobes in pessariis (626).

c) *χρυσόκολλα* ad unguenta contra ulcera (614) et ad curationem fistulae ani (887).

d) *λεπὶς* = aeris squama ad usum internum: Pilulae inde factae ut hydragogum et drasticum in hydrope (407); externum: contra scabiem et pruritum palpebrarum (689), contra ulcera (614), ut causticum, pars etiam est medicamenti nigri (635).

e) *σποδός* (*μέλαν τὸ κύπριον*) recrementum est metallorum ustorum, cineris similitudinem et nomen referens, unde Latinis quibusdam cinerula vocatur. Quae ex varia materia ut colligitur, ita diversa sortitur nomina (Foes.). Spodium Plinio oculorum medicamentis convenire dicitur. Idem Hipp.,

qui contra inflammationes (407) aliosque oculi morbos (635), ulcera (877) etc.; in pesso (633) quoque id usurpavit.

f) *χαλκός κεκαύμενος*, cuprum combustum contra lippitudinem (407).

g) *Ἰός* = Aeruginem, cujus praeparationem Theophrastus describit, ad potionem placentam et foetum mortuum excludendi (626), ad unguenta in morbis oculorum (635) praecipueque in lippitudine (636), ut adstringens haemorrhoidarum etc. (894) adhibuit.

h) *κύανος* = Cuprum sulphuricum ad unguenta, ulcera curandi causa (880).

Μόλυβδος.

Plumbum ut medicamentum antiquissimum antiquis saepe, sed ad usum solum externum cum Myrrha, Thure, Cupro et Alumine commixtum recommendabatur. Varia autem nomina, quibus plumbum apud antiquos commemoratur, certum discernere possibile non est. Divisionem quidem, ad Dioscoridem me revocans, qui de cupro plurimum et diligentissime scripserat, ut possum, hanc faciam:

a) *Μολύβδαινα* = Plumbago, = Molybdaena, quod Dioscorides ut aes lute splendens ex auro atque argento resolvendo accipit. Hipp. ad unguenta usurpat faciem erugandi (666), contra vulnera recentia (877), ad unguenta emollientia, quae etiam decoras cicatrices efficiunt (880), ad haemorrhoidas adstringendas (894) etc.

b) *Μόλυβδος πεπλύμενος* = Plumbum elutum, cujus praeparationem Dioscorides describit, ad hoc et plumbum illud tritum, apud Hipp. saepe commemoratum attinere videtur, adhibebatur ad unguenta ophthalmica (636), ad ulcera (877); pars etiam erat unguenti carici (878).

c) Plumba oxydata:

1) *ἀργύριον ἄνθος, ἀργυρῖτις, χρυσῖτις* = argenti flos ex plumbo usque urit calefacto ab Hipp. commendatur ad unguenta contra ulcera capitis (465), ulcera uteri (614) atque omnino ad ulcera exsiccanda (877), ad injectiones

uteri exulcerati (574, 628, 630), ad inject. auriculares in otorrhoea (466); χρυσῖτις cum spodio et aeris squama ad unguenta arida in morbis oculorum (635).

2) Lithargyrum, quod Plinius et spumam argenti vocat, contra impetigines, quod si pustulae adsint et ad haemorrhoidas foeminarum exsiccandas (894). Natura muliebris lenia exigit medicamenta et minime mordacia, itaque hic Lithargyrus recommendatur, qui desiccat sine manifesto colore, moderate adstringit et abstaget, ejusque urendi modum docet Dioscorides.

d) Ψυμμίθιον = Plumbum oxydatum carbonicum. Quod nascitur, sed antiquissimis jam temporibus arte praeparabatur et quomodo id facerent, Theophrastus et Dioscorides descripserant, = Cerussa alba: a Hipp. in capitis quodam morbo contra aurium humorem (466), in pesso contra metritidem post partum (570), contra ulcera (616), et ad medicamenta ophthalmica (635, 1046) usurpabatur.

Σκορια σιδήρου.

Ferri scoria. Quam Hipp. candentem in veteri urina extingendo uterum fovere commendat contra sterilitatem (621).

Χαλκῖτις, Μίσυ et Μηλαντηρια.

Mineralia ferraria seu cupria significare videntur, quae tamen distinctius interpretari non possumus. Quorum ut medicamenta sapissime Hipp. usurpavit:

a) Chalcitin (quod quia loco quodam χαλκιτη στυπτηριν dicitur, aluminis speciem esse quidam volunt) contra dolores oculi vehementes (407), ut stypticum (406), ita etiam in prolapsu ani sanguinem mittentis (889), ad recentia vulnera: ad suppurationem prohibendam (877), ad ulcera depascentia nomas vocata: Chalcitin ustam, urere autem convenit, donec flammam concipiat (879), ad haemorrhoidas, quod insigniter consumere et desiccare dicitur (894).

b) Misy, quod cum chalcitide genere esse cognatum et cum chalcitide nasci, easdemque habere facultates dicitur,

praeterquam tenuiorum esse partium: ad ocularia emplastra (635), ad cauterium siccum contra ulcera humida et putrida (879), in pessariis ad expurgandum (572) et praecipue in sterilitate, si mulier concipere nolit: misyos fabae quantitatem aqua maceratam potui exhibeat et per annum non concipiet (584).

c) Melanterium, quod natura luteum, humectando nigrum Dioscoride dicitur, ad haemorrhoidas exsiccandas (894).

Τετράγωνον.

Quid Tetragonum sit, interpretandi difficillimum est; hoc Galeni jam temporibus ignotum fuit. Galenus enim ipse quid sit nesciat: quosdam ait per Tetragonum intelligere crustas quae circa stibium reperiuntur, quosdam etiam ipsum stibium. Grimmius et Upmannus id pro *Τετραγωνια* = Euonymo europaeo sumunt. Tetragonum medicamentum apud Hipp. esse videtur, quod caput purgat (557, 559).

Ἀρσενικόν.

Arsenicum luteum, Auripigmentum (Operment) quod ex Mysia, Cappadocia et Carmenia antiqui accipiebant, pars erat unguenti carici, quod Hipp. omnino contra ulcera (878) exhibuit.

Σανδαράχη.

Arsenicum rubrum = Risigallum, Zarnik Araborum Hipp. adhibet ad potiones in hysteriasi cum sulphure, castorio et amygdalibus amaris ex vino (669, 670); externe ut cauterium (635, 878), emolliens (265) exsiccans (894), ad suffitum si ex partu crus claudum ab uteris redditum neque recte stare potest (629) etc.

Θεῖον.

Sulphur nativum antiquissimis ex temporibus ut medicamentum exhibebatur, quod jam Homerus ut malorum medelam commemorat. Hippocr. sulphur usurpavit ad usum in-

ternum: contra asthma (582, 603), hydropem (664) et hysteriasin (669); externum: in pesso: ut emolliens (574), exsiccans contra fluorem qualiscunque sit (669), ad suffitum uteri (569), ad inhalationem in angina (490), praeterea ad unguenta ad nasi auriumque fracturas (845, 846), ad ulcera maligna; pars etiam erat unguenti carici (878) et contra impetigines etc. (667).

Νίτρον. Λίτρον.

Quae duo varia esse genera quidam voluerunt; sed utrumque unum idemque ac quidem Alcali quoddam esse, inter omnes nunc constat. Cum vero Natrum nativum inter omnia frequentissimum in fossiliis, aqua et viva et marina atque in herbis nonnullis ad littora reperiatur, rarius autem Kalium et rarissime Lithium, plerique *Νιτρον* et *λιτρον* pro Natro nativo omni jure nunc sumunt, quod antea fere una voce quamquam falso pro Kali nitrico accipiebatur. Colorem vero Natri variam ex variis admixtis terris oriri, jam Plinius dicit. Hipp. natrum commendat ad usum internum: ut expectorans (495) et hydragogum in hydrope (547); externum: saepissime in pessariis ut bilem et pituitam ex utero expurgans (573, 629 etc.), contra sterilitatem (586, 622, 633, 1056 etc.), dolorem post partum (266, 582, 673), ubi uteri laxati fuerint (266), ut emmenagogum (622, 626) etc.

Τίτανος.

Calx, quam antiqui etiam testis ostreorum calcinandis seu marmore arte fecerunt. Quam Hipp. usurpavit ut causticum contra ulcera (635) et exsiccans contra lepram squamosam et albam, ut ne ulcerent (1046). Hic et commemorandae terrae calcariae:

a) *Γύψος,* apud Herodot. cretam et ex Theophrasti temporibus gypsum significans, a Hipp. ad lochias educendas adhibebatur (572).

b) *Σηπίης οστρακον* = os sepiae, secund. Grimmium testa ostreorum. Cujus pulv. e vino Hipp. in pesso contra prolapsum uteri (266) usurpavit.

Κίσσηρις.

Pumex Vulcani L., quem Hipp. adhibuit ad unguenta contra impetigines (667).

Στυπτηρία.

Alumen nativum, cujus tria apud Hipp. genera commendantur: findendum (χριστη), Aegyptiacum et Melinum, in pesso praecipue contra amenorrhoeam (266, 424), contra sterilitatem atque omnino ut purgans (581, 598, 681), ad omnem puerperam (584), contra metrorrhagiam (622), ad foetum corrumpendum et ejiciendum (627); ad glandes in anum ut adstringens haemorrhoidarum (893), ut causticum fistularum ani (884), ad cataplasmata aut fomenta cum hordeo tritum in prolapsu ani inflammati. Praeterea saepissime ut exsiccans etc. contra ulcera maligna (877), ad pulv. et unguenta contra uteri ulcera (614), contra tumores et dolores gingivae vehementes, ubi alumen per initia adhibitum cursum cohibere dicitur (1157), contra anginam parotideam (1180), ut stypticum (1175), ut hydragogum, aquam velut e carnibus educi dicit (620) etc.

Μίλτος.

Minium Plinius et rubricam vocat. Theophrastus, qui Ochero simile esse dicit, ad terras adnumerat. Dioscorides Milton sinopicam praestantissimam aestimat, quam Vetruvius Minium Lemnium appellat et Celsum intelligere per minii glebam in torminum curatione quidam existimant et pro rubrica Lemnia s. Armenia sumi. Tournefortius autem bolum armenicum Crocum esse Martis dicit, quare Miltos antiquorum Argile ochrense Hauy a plerisque habetur. Hipp. Milton adhibet ut exsiccans, adstringens, leniens, emplastica vi praeditum, valentissimum ad igne ambusta remedium (881) idemque optime vulnerariis emplastris admixtum in prolapsu ani (889) in pesso contra puerpurarum metrorrhagiam (267).

Γῆ κεραμῖτις.

Argilla vulgaris, quam Hipp. ut refrigerans commendat ad cataplasma in encephalitide (488), pectoris inflammationibus (535) etc.; praeterea ad corpus illiniendum in puris dignoscendi notis, nam ubi Argilla primum resiccaverat, locus abscessus erat (453).

Γῆ ἐρετρίς s. ἐρετρίας.

Terra erretrica aut rubrica, qua pectus illinit Hipp. ad pus explorandum, quonam loco delitescat (496).

Γῆ σμηκτρίς.

Quam Foesius Terra Cimolia = Argilla Smectis Waller. convertit et Gal. in Exeg. apud Hipp. terrae genus quoddam detergendi vi praeditum esse exponit. Creta autem Cimolia aut alba creta eluendi ac detergendi vim habet ac praeterea desiccandi. Hipp. eam ad unguenta cum aliis medicamentis contra crinium defluvium commendat (667).

Praeterea Terram nigram Samniam ad uteros repurgandos potu exhibet (572), Terram albam ad collutiones pituitam detrahentes (620) et Terram Aegyptiacam in pesso ut medicam. emmenagogum (573), quarum explicationes invenire non possum.

Ἄσφαλτον.

Bitumen Asphaltum. Resina quaedam gravi odore empyreumatico in mari rubro praecipue, nonnullisque Asiae et Europae lacubus natans, quae in fotidinis quoque Francogalliae, Saxoniae etc. reperitur. Strabo optimas de ejus collectu in mari Sidonico etc. explicationes dat et inter alia Sabaeos somnum eo depulisse narrat. Hipp. Asphaltum e vino albo potu exhibuit in angina (490) et hysteriasi (670); ad uteri suffitus in hysteriasi (569), contra dolorem uteri vehementem (673) et sterilitatem; in hysteriasi quoque naribus ad suffitum (570), in pesso (647) etc.

Ἅλς.

Natrum muriaticum. Cujus jam duo genera Sal maris et Sal gemmae antiqui cognoverant. Hipp., qui sal Aegyptiacum et Thebaicum praestantissimum habuisse videtur: Salsa, ait, alvum et urinam cient (529), ardenter febricantibus non propinanda (396) sed in his, qui pus priusquam crudum expuunt, salsa cum melle exhibenda sunt (1240). Praeterea commendat:

a) Sal gemmae ut medicamentum pituitam expurgans (601), ut malignorum dolorum remedium (1190), ad ulcera inspergenda (426, 467, 879), ad alvi infusa ex salis, olei et hordei decoctum, pituitam et sanguinem e coxis educendam, in Coxendico morbo (561) et bilem expurgandi cum betae succo et cucumeris interiore parte (557, 636), ad uteri injectiones bilem expurgandi (637); in pesso ut emolliens et purgans (631, 672) ad educendas lochias, menses, et variis in uteri morbis (582, 605, 622, 627) etc.

b) Aquam marinam s. salsam ad potiones in lienis morbis (550), ad lotiones contra lentiscas, faciem quoque decoram reddere dicitur (666) et contra alia exanthemata. Aqua, inquit, marina his, qui pruritum sentiunt, et ab acribus humoribus mordentur, tum lotione tum fotu calida prodest, his quidem, qui minime assueti sunt, molestiam quandam exhibet. Ulceribus autem ex ambustione et abrasione et reliquis hujusmodi adversatur. Puris vero est accommodata et valet ad probe extenuandum et ad piscatorum ulcera, ut quae neque suppureat, nisi attigeris et ad prima fracturarum subligamina. Quin etiam depascentia ulcera sedat ac sistit, non secus ac sal, salsugo et nitrum (426). Quam praeterea usurpavit ad fomenta et balnea contra sterilitatem et menstrua nimia ex uteri ore dehiscenti orta (686), contra dolores lumborum, pedum et coxae ex contentione (1155), dolores humeri ex metastasi quadam ortos (1229).

Ὕδωρ.

Multa et utilia apud Hipp. de aqua, principio illo in tota natura eminentissimo dicta reperimus. Ita comparat in libro de aere, aquis et locis

a) aquas varias terrestras, quas dividit in potabiles et inpotabiles, salubras et morbosas. Inter morbosas adnumerantur aquae palustres, stabiles et lacustres, aquae deinde montanae, quae propterea quod earum fontes in saxosis locis sunt, durae sint necesse est, aquae denique natura calidae, minerales et salsae, quae durae et aestuosae sunt, neque facile per urinas feruntur et alvi egestioni adversantur. At vero optimae sunt, quae sublimibus locis et terrae tumulis profluunt. Hae enim dulces sunt et ex profundissimis fontibus proveniunt, per hiemem calidae per aestatem frigidae. Maxime vero commendantur, quarum fontes ad solis exortus, praesertimque aestivos decurrunt. Limpidiores enim et boni odoris et leves necesse est. Deterrimae vero quae ad austrum spectant, quaeque sunt inter aestivum ortum et occasum etc.

b) Aquas meteoricas, quarum ex imbribus optimam, quod levissima et dulcissima, aquam ex nive et glacie liquatam pessimam habet, et morbos inde oriendos enumerat.

Aquam omnino puram ad potionem in morbis rarissime (aliquoties ad vomitum) exhibuisse videtur vel incoctam in morbis acutis dissuasit, plerumque eam melle sine aceto etc. commixtam usurpavit. Usus vero externus longe major erat ad fomenta, perfusiones et balnea modo calida modo frigida, quod diligentissime docet omnibus fere in morbis, praecipue de balneis, quod mirum non est, quia his antiqui quotidianis utebantur. Balneum, inquit, in plerisque morbis ad usum contulerit, partim quidem assidue partim vero minime. Interdumque eo minus utendum, cum ad id homines sint imparati. In paucis enim domibus, quae sunt ad agendum necessaria aut accommodata praeparata reperiuntur, neque ministri quales decet. At nisi quis perbelle lavetur non mediocrem incurret noxam etc. (395).

Οἶνος.

Vinum apud antiquos in Graeci fertili idem quod aqua nunc valuisse videtur. Quo ad communes potiones medicasque et ad medicamenta plerumque praeparanda utebantur, vel vinum in morbis potu exhibebant, quibus severe id interdicimus. Hipp.: Vinum, ait, calidum et siccum, habet et purgans quoddam a materia. Vina nigra et austera sicciora sunt, neque per alvum secedunt, neque urinam aut sputum movent, sed corporis humiditatem absumendo siccant et caliditate inferunt. Mollia nigra humidiora sunt et flatus excitant, alvumque magis dejiciunt. Dulcia nigra humidiora sunt, calefaciunt autem et inflant, cum humiditatem inducunt, alba vero et austera calefaciunt, magis autem urinam movent, quam alvum dejiciunt. Vina recentia alvum magis movent, quod musto sint propria, et nutriunt, item odore magis quam inodora ejusdem aetatis, quia facilius concoquuntur et crassa quam tenuia. At tenuia dulcia urinam magis et alvum movent corpusque humectant et sanguinem imbecillum reddunt, cum adversarium corpori sanguinem augeant. Vina acida refrigerant, extenuant et humectant (358). Quorum plerumque alba dulcia ad usum internum commendat, rubra vero austera externum ut adstringens praecipue. Rubra inquit austera in his morbis ad haec solum potu adhibere possis, si utique capitis gravitas non insit, neque mentis perculsio neque sputum sursum ferri prohibeatur, neque etiam urina inhibeatur, sed alvi egestiones humentiores et ramentosiores fuerint. In his sane vel maxime ex albo mutationem facere convenit et quaecunque iis similia existunt (392). Rarissime autem vino mero antiqui utebantur. Hipp. vinum merum copiosius epotum hominem quadam imbecillitate afficit, idque qui vident, omnes noverunt eas esse vini vires et in ipsum noxiam referunt, sed et quas nam hominis partes praecipue afficiat novimus (17). Adhibet id potu contra cardialgiam (1046), famem morbosam (1245), contra oculorum dolores (1257, 1260) et stranguriam (1260). Vinum fervefactum ad malignorum hu-

morum contemparationem (1190). Vinum deinde diffusum, perfrigeratum et excolatum, quo tenuius et debilius reddatur, commemorat (528). Vinum vero excolatum saccatum dicitur et saccis percolatum quod per infusum immittendum commendat contra uteri ulcera (628). Multo major usus erat vini pari aquae portione temperati, quem mixturae modum multi de meraciore potu sumendum contendunt etiam apud Hipp. loci multi, ubi contra anxietudinem, oscitationem, horrorem (1056, 1260), ad potiones in febre (339, 474) etc. commendatur.

Lac deinde cum vino pari aquae mixtura temperato: si intestino vulnerato spiritus infra ad vulnus procedit sine manifesto sensu et pectus vacuatur (1053).

Vinum cum lacte = *οἰνόγαλη* et cum melle = *μελιηδής* s. *μελιχρός* mixtum ad collutiones praecipue uteri exulcerati adhibet (616, 629, 1230 etc.).

Mustum, quod flatum movere et subducere dicit, turbationemque in ventre suo fervore excitare, alvumque dejicere (358), contra oculi morbos (407) ejusque decoctum nominibus *εψημα* et *σιραιον* = sapam non raro variis in morbis commendatur (616, 665 etc.).

Vina denique variis ex terris ab Hippocrate adhibita commemoranda: Vinum Creticum (403), Tornium (476) Thasium (497), Mendesicum (Aegypt.) (539), Coum (546) et Pramnium, vinum optimum ex Smyrnae regionibus (610).

Vitis autem viniferae omnibus fere partibus Hipp. utebatur: folia et palmites in pesso (586) et cinis eorum ad uteri suffitus (668, 673); flores (= *οιναvϑη*) ad potiones non febricantibus in diarrhoeis (405), ad collutiones contra fluores muliebros (585, 668), oinanthumque ex vino cruentis vulneribus maxime idoneum dicitur (877).

Uvarum racemos Hipp. calidos et humoros alvum dejicientes praecipue quosdam albos habet. Dulces, inquit, potenter calefaciunt, quod multum jam calidi obtineant. Immaturi vero minus calefaciunt, potu autem magis purgant. Uvae passae aestuosae sunt, alvum tamen dejiciunt (360). Vires

reficiunt et pituitosae sunt (529). Uvasque inprimis passas potu commendat febricantibus (395), in ictero (551) ad cataplasma (585) et saepissime praeterea ad usum internum et externum (607, 629, 636, 637, 668, 671).

Ὀμφάκιον = succum uvae immaturae acerbae deorsum solum adhibetur contra oculi morbos (407, 636), contra ulcera inveterata et recentia capitis, aurium et cutis, quae colis glandem dejit (875, 878 etc.)

Στέμφυλα = vinacei s. vinacea dicuntur. Galenus stemphyla uvarum torculari expressarum solida retrimenta esse, quae et caeteris *τρυγα* vocari et Atticis *βρύτια* idem, dicit; quod alii aliter interpretantur. Hipp. stemphylum per noctem maceratum potu commendat febricantibus (395), in morbo ructuoso (485) et morbis omnino ardentibus (497), ad elutiones ani, si humore madeat et sanie diffluat, ad collutiones uteri contra fluorem album (627, 642), in pesso contra alios uteri morbos (584, 625 etc.).

Lachrymam vitis = succum e ramis incisis effluentem ad eam corporis partem, quam depilare quis volet, inungere commendat (636).

Υσωπερια ἔρια denique commemoratur. Succidae lanae atque illotae plures antiqui facultates attribuerunt ac multis in morbis ut medicamentum usurpabant, quam et Hipp. persaepe adhibebat: in stomacace ad collutiones ex lana succida et aqua; lanam succidam ad pulv. dentifricios (666). Curationem vulnerum recentiorum linimentis ex lana succida (877) commendat et post mammae asperae, si suppuret, incisionem (666); lanam quoque succensam naribus ad suffitum in hysteriasi (670) etc.